DE DEO OPTIMO MAXIMO OPERANTE Dissertatio.

AD REVERENDISSIMVM PATREM
Totius Ordinis Prædicatorum Vicarium Apostolicum, & Sacri Palatij Magistrum

FRATREM NICOLAVM RODVLFIVM.

A Fratre
PAVLO HIERONYMO CARPANO
Mediolanense, Sacræ Theologiæ Lectore Primario Prouinciæ vtriusque Lombardiæ.

Conuentus Sanctæ Dicatæ Mariæ Transpontinæ

ET DISPVTATIONI EXPOSITA.



VENETIIS, M DC XXIX.
Apud Iacobum Sarcinam.
SVPERIORVM PERMISSV.

DE DEO
OPTIMO MAXIMO
OPERANTE
Dissertatio.

AD REVERENDISSIMUM PATREM
Totius Ordinis Prædicatorum Vicarium Apostolicum, & Sacri Palatii Magistrum
FRATREM NICOLAUM RODULFIUM

A Patre
PAULO HIERONYMO CARPANO
Mediolanense, Sacræ Theologiæ Lectore Primario
Provinciæ utriusque Lombardiæ

ET DISPUTATIONI EXPOSITA.



VENETIIS, M DC XXIX.
Apud Iacobum Sarzinam.
SUPERIORUM PERMISSU.

 181

REVERENDISSIMO PATRI

Totius Ordinis Prædicatorum Vicario Apoſtolico, Sacrique Palatij Magiſtro

FR. NICOLAO RODVLFIO.

FR. PAVLVS HIERONYMVS CARPANVS Mediolanenſis S. P. Æ.

QVÆ de Dei Optimi Maximi operibus in his noſtris Generalibus Comitijs proponenda ſtatui, eadem met, vt hæc tibi (Reuerendiſs. Pater) offeram, me impellunt. Deus Vniuerſum tot, tantiſq; diuerſis rerum gradibus perfectum ſua operatione conditum etiam regit, gubernat, conſeruat, in ſuoſq; omnia ſuaui, fortiq; tenore dirigit fines. Pariter & Paternitati tuæ Reuerendiſsimæ à Sanctiſs. D.N. VRBANO VIII. *Dei Vicario totius Prædicatoriæ Familiæ cura demandata eſt, quæ iure meritò alterum dici debet Vniuerſum, cum & tot partibus, atque gradibus conſtet, & in totum dilatata ſit orbem, vt nulla extet Regio, vel in antiquo, vel in nouo orbe, vbi Chriſti fides audiatur, & colatur, quin ibidem hæc tua & noſtra Religio vigeat, ſplendeat, fidem Chriſti plantet, plantatam confirmet, confirmatam tueatur intactam. Hoc Vniuerſum tuæ curæ demandauit Sanctiſſimus velut alter Deus, vt illud tua prudentia, zelo, iuſtitia, Religione,*

serues, foueas, amplies, vt sic vnaquaeque eius pars suaui, fortiq; tuo regimine proprium assequatur finem. Opera Dei ad intra sunt veluti exemplar eorum, quae in rebus condendis, administrandis, & conseruandis exercet Deus: Omnia etenim iuxta infallibilem suae sapientiae, ac bonitatis tenorem, atq; regulam disponuntur. Ita operationes illae heroicae, quibus (Reuerendissime P.) temetipsum instituis, & regis, vt omnia tua rectae consonent rationi, debitumq; corpus animae, vires inferiores superioribus, hae rationi, ratio ipsi Deo praestet obsequium, vnde perfecta consurgit iustitia, quae ex totali rectitudine virium animae inter se se, & ad Deum conflatur. Istae, inquam operationes sunt tibi exemplares, pro toto religionis corpore rectè administrando. Deus tandem infallibili prouidentia per virtutes, per legem, per gratiam, aliaq; adiutoria creaturam rationalem, ad vltimum gloriae perducit. At tu (Reuerendiss. P.) virtutum omnium chorum possides; legum omnium humanarum, Diuinarumq; notitiam opere practico coniunctam obtines, tot gratiae dona à Deo tibi liberalissimè donata sunt, vt inde faelix, & non fallax auspicium sumere liceat subditos tuos his medijs ad veram fore pertrahendos faelicitatem. Haec itaq; Dei opera ad Vniuersi institutionem, & regimen spectantia iurè tibi debentur, cum similia prorsus in altero vniuerso tuae curae demandato exerceas. Ea ergo benigno suscipe vultu, quo vnusquisq; propria amplectitur, & ab animo tui obseruantissimo oblata.

Vale in aeternum faelix.

PRAEFATIO.

DEI Summi, & omnipotentis opera Multitudine omnibus patent, Vtilitate omnia creata amplectuntur, Varietate mirabile, perfectumque conſtituunt Vniuerſum, pulchritudine omnium alliciunt oculos, demum excellentia omnem creaturam in ſui & admirationem, & laudem trahunt. Quare vbi immenſis beneficijs Diuinis per tot, tantaque eius opera nobis collatis pares reddere nullatenus poteſt quæcumque creatura: attamen illis decantandi laudem, eaq. inceſſanter prædicandi pro poſſe Diuinum extat præceptum ore Archangeli Raphaelis promulgatum. Cui cum vterque Tobias Senior & Iunior dimidiam bonorum ſuorum partem animo, affectuque ſupplici obtuliſſent, illum rogantes & obſecrantes, vt in animi grati teſtimonium pro tot ab eo acceptis beneficijs gratam acceptamque haberet, illis tale retulit reſponſum, atque iniunxit præceptum, vt in gratiarum actionem pro quibuſcumque à Deo acceptis beneficijs, nunquam laudare, prædicare, omnibuſque Dei opera aperire ceſſarent. Sic legimus Tobiæ 12. Benedicite Deum Cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei: quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam. Etenim ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt.

Ne itaque talis præcepti reus inueniar, cum ego vilis

homuncio, & inutile Dei mancipium pro tot, tantisque beneficijs, quibus in dies, & omni hora à Diuina afficior bonitate, Diuina opera laudare, decantare, & aperire constitui; à suprema illa operatione, qua Deus in semetipso actu essentiali, notionalique operatur exordium sumens; Tum descendens ad eius opera ad extra explicanda, quibus primò esse naturæ rebus omnibus contulit, easque gubernat, & conseruat: indè quo peculiari iure in creatura operetur rationali ad vlteriorem, & excedentem transmissa finem: medijs virtutibus, legibus, gratiæ donis, atque sacramentis in eademmet operatur esse gratiæ; vt tandem ad esse gloriæ eam perducat operatione nunquam habitura finem; vbi sine fine Deum nostrum indefessè toto spiritu, & mente laudabimus, & benedicemus. Hæc est omnium sequentium summa, series & ordo: Atque intenti mei scopus, votorumque omnium finis.

DE DEO OPERANTE

Ad intra essentialiter.

HVMANAM salutem in veritatis cognitione, nè per diuersos errores Intellectus obscuretur humanus; nec non in debiti finis intentione, ne deuians per fines indebitos animus à vera deficiat fœlicitate, demum in perfectæ iustitiæ cultu, ne per vitia sordescat, positam esse cõstans semper fuit omnium Sanctorum sententia, Sacraque passim testantur volumina. At sicuti humana iustitia, quæ in legis obseruantia consistit, vno clauditur Charitatis præcepto teste D. Paulo. Plenitudo legis est dilectio: Et quo humana dirigi debeat intentio spes ipsa ostendat: Ita ad cognitionem veritatis hominum saluti necessariam cum nec singulę, nec omnes scientiæ humanitus adinuentę, naturaliq. lumine acquisitæ per se se sufficiant: necessarium proinde fuit Homini, vt proprium finẽ rationis metas excedentem, quo actiones interioresq. suas dirigere debeat, intellectu i.1.q.1

pertingeret, doctrinam quandam veluti diuinæ ſcientiæ impreſſionem dari; cui à D. Aug. illud iure meritò aſcribitur, vt ſit Id, quo fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur. Quæ ſcientia ſimul & ſapientia vna exiſtens ſicut cęteras omnes tam ſpeculatiuas quam practicas dignitate longè antecedit, ita obiectum ſupremum, entium nobiliſſimum Deum ipſum cognitionum omnium, & actionum noſtrarum finem ſibi vendicat.

De Deo autem duo potiſſimum cognoſcere nobis incumbit, gloriam nempè eius, & opera, vt cecinit Pſaltes. Cæli enarrant gloriã Dei, & opera eius annũtiat firmamentum. Quinimmo ex Dei operatione ad Diuina, Deitatisq. arcana perſcrutanda nobis patens ſternitur via, ſi verè aiebat D. Paulus. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Qua de cauſa ſi quis Deum operantem, vt decet, fuerit contemplatus, vniuerſaque eius opera Intellectus intuitu perluſtrabit, eius eſſentiam & eſſe, prout homini datur, probè noſcet. In eo enim ſolo eſſe & operatio vnum ſunt: eſſentiaq. Diuina ſub ratione diuerſorum attributorum eſt principium omnium operationum Dei. Ille Deum operantem fatetur, qui creaturas inſpicit: ſed diſtinctas, atque ſingulares eius operationes non agnoſcit, qui proprios operandi modos non rimatur. Hac itaque ratione vſque ad ſinum Deitatis pertingere, abditaque Dei operantis arcana in ipſa æternitate repoſita contemplari licebit. Prius enim in ſe Deus operatur, tum ſecundum emanationem in alia, Intellectu, & Volũtate: illud æternum, hoc temporale. Actio Dei ad intra & eſſentialis eſt, & notionalis, vtraque intellectu & voluntate perficitur: Eſſentialia autem cum notionalibus priora ſint, hinc fit, vt ſi recto velimus ordine incedere, Dei in ſe eſſentialiter operantis contemplatio primas teneat ſedes.

Deum itaque intellectu purissimo, simplicissimoque 1.1.q.14.
præditum, & eo perfectissimè operantem fatemur: Cum
enim in summo sit immaterialitatis gradu, summum
quoque cognitionis possidet. Cognoscens in hoc à non
cognoscente discriminatur, quia illud non solum est ipsum
sed alia, hoc vero est tantum se; quod ex illimitatione
procedit, totaq. radix est immaterialitas. Deus verò 1.1.q.3
summè est immaterialis, absq; vlla penitus compositione
Corporis, materiæ, & formæ, esse cum essentia, suppositi
cum natura, generis, & differentiæ, subiecti cum
accidente; quare & scientia in Deo perfectissimè collocatur:
ideo nō habet rationem qualitatis vel habitus, nec
vniuersalis vel singularis; eaque seipsum perfectissimè
intelligit. In Deo enim cum sit actus purus, oportet vt 1.1.qu.14.
intellectus & intellectum sint omnibus modis idem; vt
neque intelligibili specie careat, nec species intelligibilis
sit aliud à substantia intellectus Diuini: quinimmo tā
species intelligibilis, quā ipsum intelligere est ipsa substantia
Dei: aliter aliquid aliud à Deo esset actus, & perfectio
substantiæ Diuinæ; nam intelligere est perfectio &
actus intelligentis, speciemque consequitur. Sicut esse
formam. Quare ista quatuor nempè Intellectus intelligens,
Id quod intelligitur, species intelligibilis, & ipsum
intelligere in Deo sunt vnum & idem.

Cuius virtus in cognoscendo tanta est, quanta & eiusdem
actualitas in existendo, ideo seipsum omni modo
cognoscit sicut cognoscibilis est, quod est dictu Deum
seipsum compræhendere; & etiam alia à se necessariò cognoscere:
nam si seipsum perfectè intelligit, suam quoq;
virtutem agnoscat necesse est, quæ ad alia se extendit vt
prima causa effectiua omnium entium, in ea omnes effectus
præexistunt, esseq; primæ causæ est intelligere, sic
omnia in intelligere Dei, & secundum modum intelligi-

bilem in eo ſunt. Atque omnia præexiſtunt in Deo non ſolum quoad communia, ſed etiam quoad propria, ſecundum quæ adinuicem diſtinguuntur, ideo aliarum rerum cognitionem habet, non tantum communem, ſed etiam propriam, quoad ſingula cuiuſque rei: Sic namque fit, vt ſeipſum perfectè cognoſcat, ſi quocunque modo ſua perfectio eſt ab alijs participabilis agnoſcit: ita & ipſam naturam eſſendi perfectè nouit, ſi omnes eſſendi modos intueatur; Vnde quia ſeipſum vt aliorum cauſam intelligit, propriam omnium cognitionem habet. Diuina namque eſſentia eſt ratio cognoſcendi Diuino intellectui & vt principium & vt obiectum, vt quo & quod, omnia in ſeipſo intuetur. Idcirco nullus in eius ſcientia diſcurſus, nec ſecūdum ſucceſſionem, nec ſecundum cauſalitatem locum habet. Ipſa tamē Diuina ſcientia rerum cauſalitate potitur, ad quas ſe habet vt ſcientia artificis ad artificiata, & practicæ ſcientiæ ſortitur rationem, vbi reſpectu ſui tantum ſpeculatiua eſt. Taliter Deus omnia alia cognoſcit, vt etiam non entium, & ſingularium, & infinitorum, bonorum & malorum (hæc tamen per bonum non ſuæ eſſentiæ, ſed creatum cui formaliter, & priuatiuè malum opponitur, contemplatur) cognitionem libenter ei demus.

Quin etiam futurorum contingentium in ſeipſis notitiam certam, & infallibilem in Deo agnoſcimus duplici iure: Tum ratione æternitatis, & exiſtentiæ rerum in æternitate, in qua omnia Deo ſunt præſentia, præſentia in quam reali, & non obiectiua tantum; Nam eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia prout ſunt in ſua
i.1.q.15. præſentialitate. Tum quia rationes rerum habet apud ſe præſentes, per quas rerum rationes intelligimus Ideas; quas neceſſariò ponimus in mente Diuina cum D. Aug. dicente, Tanta vis in Ideis conſtituitur, vt niſi his intel-

lectis sapiens nemo esse possit. Idea non est creatura cognita, sed ipsamet natura, vel essentia Diuina vt intellecta, vt obiecta est; cuius simplicitati non obstat pluralitas Idearum: ex intellectu enim Diuino comparãte naturam suam ad res oriuntur respectus ad ipsas, quatenus eam variè imitari possunt, iuxta quas, ac variam imitationem varietas oritur idearum. Hi respectus multiplices, quibus ideæ fiunt, & distinguuntur, sunt in Deo & æterni. Sic itaque tum propter rationes rerum, quæ sunt Ideæ, tum propter omnium præsentiam realem Deo ab æterno futura contingentia Deum cognoscere indubiè fatemur: istaque cognoscere munus est sciẽtiæ visionis, quam & illorum causam asserimus. Alia verò futura ex conditione, quæ fuissent si hoc, & illud antecessisset, quæ numquam fuerunt, nec erunt, ad scientiam simplicis intelligentiæ pertinent. Sic Diuinam scientiam distingui geminam dicimus, vel potius duplici patientem ratione, simplicis intelligẽtiæ vnam, Visionis alteram, & eam spectare possibilia; hanc futura: & sicut gemina ab antiquis tantũ fuit constituta scientia, ita & nos illa duplici scientia sumus contenti; nulloque pacto volumus aliter distinguere, & multiplicare scientiam nec in re, nec in nomine ad quamlibet controuersiam conciliandam.

His modis Deus operatur intellectu; at quia in quolibet habẽte intellectum est etiam voluntas, sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis, in Deo voluntatem esse necesse est. Nec Diuinæ voluntatis operatio minoris est dignitatis, & eminentiæ, quam sit illa intellectus: si enim intelligere est suum esse, ita & est suum velle. Cuius operationis obiectum primum, & principale est propria bonitas, pelagus totius boni; hinc ad alia à se volenda se extendit diuina volitio: Quia si res naturalis naturalem habet inclinationem, vt bonum propriũ 1.1.q.19.

in alia diffundat; ita etiam Diuina voluntas, vt bonum suum communicet, cum ab ea omnis alia perfectio per quandam similitudinem deriuetur, & hoc est velle alia à se. Vult se vt finem, alia verò à se vt ad finem, inquãtum condecet Diuinam bonitatem etiam alia ipsam participare. Hæc operatio est necessaria absoluta necessitate, vt in suam fertur bonitatem: necessitate autem suppositionis vt alia respicit: Voluntas etenim, sicut & quælibet alia potentia, necessariam habet habitudinem ad proprium, & principale obiectum, ita Diuina voluntas ad suam bonitatem.

Sua voluntate Deus omnia operatur non necessitate naturę; sic ordo causarum agentium, vt agens per intellectum & voluntatem sit prius agente per naturam, primumq́. in ordine agentium est Deus, attestatur. Ita pariter ex ratione agẽtis naturalis, omne enim tale esse determinatum habet, at esse Diuinum totam essendi perfectionem in se continet, comprobatur. Et si effectus procedunt à causa eo modo, quo præexistunt in ea; omnia in Deo præexistunt secundum modum intelligibilem, cũ esse Diuinum sit ipsum eius intelligere (omniaq́. sunt in causa secundum modum causæ) sic omnia procedunt ab eo per modum intelligibilem, & per consequens per modum voluntatis. Et ita vt congruentius ac dignius causa libera, quam contingẽs dicatur Diuina voluntas in ordine ad alia: Ipsa autem in se causam non habet, sicut nec intellectus diuinus in sua intellectione: immo & vno actu omnia in essentia sua intelligit, & vno actu omnia in sua bonitate vult. Quò fit, vt falsum sit asserere, Deum velle hoc quia vult illud aliud: licet cum veritate dicamus: Hoc est propter hoc. Deus vult hoc esse propter hoc. Et hoc est volitum à Deo propter hoc aliud volitum. Huius autem tam eminentissimę causę tanta est vis ac dignitas,

vt à ſuo effectu nullatenus fruſtari poſſit: effectus nullo modo poteſt ordinem cauſæ vniuerſalis eire, & omnium rerum cauſa vniuerſalis eſt Diuina volũtas; ſuum itaque ſemper conſequitur effectum, vt ad eius encomium dicamus, Omnia quæcumque voluit fecit. Vult equidem & mutabilia, & contingentia manente tamen omninò immutabili voluntate, ſicut ſubſtantia & ſcientia ſunt immutabiles, quia nil ei de nouo incipit eſſe, vel innoteſcere bonum.

Quod autem Diuina voluntas, & in operando ſit immutabilis, & in ſui effectus conſecutione infallibilis, non tamen inde oritur vt omnibus volitis neceſſitatem imponat, quinimmo & Neceſsaria, & Contingentia, & libera ſine vllo præiudicio generari, & produci paſſim experimur: Horum omnium nulla alia melius, veriusq́. aſſignanda eſt cauſa, quam ipſius Diuinæ voluntatis efficacia. Nam quando aliqua cauſa eſt ad agendum efficax, effectus conſequitur non tantum ſecũdum id quod fit, ſed etiam ſecundũ modum fiendi vel eſſendi; Diuinaq́. voluntas efficaciſſima eſt, vndè non ſolũ fiunt ea, quæ vult Deus, ſed eo modo etiam, quo vult ea fieri, quędam nempè neceſſariò, quædam contingenter, & quædam liberè, ſic quibuſdam aptauit cauſas neceſsarias, quibuſdam contingentes, quibuſdam liberas. Hæc omnia, quæ de operatione voluntatis Dei, nempè vt ſit rerum cauſa, immutabilis, infallibilis, efficax, & alia huiuſmodi ad voluntatem ſpectant Beneplaciti, quæ ab illa ſigni ſecernitur. Cuius quinque ponuntur ſigna, ſcilicet, Operatio, Permiſſio, Prohibitio, Pręceptum, Conſilium, quia tot modis nos aliquis velle demonſtrare conſueuimus.

DE DEO OPERANTE
Ad intra Perſonaliter.

MISTERIVM illud ineffabile, ac ſempiternæ Deitatis, Trinitatisq. arcanum, quod fides profitetur Catholica, vt vnũ Deum in Trinitate, & Trinitatẽ in vnitate veneremur, nobis innoteſcit, & aperitur, ſi Deum in ipſa ſua æternitate Intellectu pariter, & Voluntate actibus notionalibus operantem contemplemur, vt de ipſo intrepidè fateamur, A quo alius; & Qui ab alio, ſalua ſemper & inuiolata eius omnimoda ſimplicitate, ac ſumma vnitate. Trinus

i.1.q.31 art.2. eſt, ſed non Diuerſus, nec Differens; non Separatus, nec Diuiſus; non Diſpar, nec Diſcrepans, non Alienus; ne Diuinæ eſſentiæ Vnitas, Simplicitas, Æqualitas, ac Similitudo auferatur. Ita tamen ſimplex, & vnus affirmatur, vt iuxta cõſuetum loquendi modum SS. Patrum, & Catholicorum. Singularis, Vnici, Confuſi, Solitarijq. nomen ei non aſcribamus; ne Communicabilitatem Diuinæ eſsentię, Numerum trium perſonarum. Naturæ ordinem, atque trium Perſonarum conſortium denegemus. Cum atteſtante D. Hieron. Solum ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæreſis: quare ſermo de tali tantoq; miſterio maxima cum cautela, ac modeſtia temperandus eſt; quia ſecundum D. Auguſt. Nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquis quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur. Horum autem omnium ratio probè & inuenitur, & redditur ex actione illa duplici immanente, Intellectum inquam & Voluntatis, ſecũdum quas Deus & communicando eſsentiam, & producendo perſonas æternaliter operatur.

Sacra volumina nominibus ad proceſſionem ſpectantibus vtuntur in Diuinis, ita Ioa. 7. Ego ex Deo proceſſi. 1. p. q. 27.
At hæc proceſſio non poteſt eſſe ſecundum actionem in exteriorem materiam tendentem, ſed immanentem; iuxta quam aliquid ad intra procedit, vt potè ſecundum emanationem intelligibilem intelligibile Verbum à Dicente procedit. In intellectu enim non ſolum eſt intelligere, ſed ẽt dicere, quod eſt intelligere exprimẽdo, taleq. intelligere Verbũ producit. Sic & in Diuinis datur Verbi proceſſio, & Verbum procedens dicitur filius, & eius Proceſſio generatio; cui verè generationis diffinitio adaptatur, quæ eſt, Origo viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ eiuſdem ſpeciei: de ſua enim ratione habet ſimilitudinem formaliter. Præter quam proceſſionem Verbi, eſt etiam in Diuinis alia Proceſſio amoris: ſic atteſtante duplici actione immanente Intellectus vna, Voluntatis altera, ab hac enim aliquid operatum proficiſcitur: quod tamen nec genitum, nec filius, nec eius proceſſio generatio dici debet, hac vna firmiſſima ratione, quia non procedit vt ſimile formaliter ex vi ſuæ proceſſionis. Sic manifeſtè docemur quænam proceſſio generatio dicatur, quænam non; & cur Verbum dicatur filius, & non Spiritus ſanctus. Hæ duæ proceſſiones tum ſeipſis iuxta proprias rationes, tum ſecundum ſua principia, terminos, & originem diſtinguuntur. Nec alia præter iſtas ponenda eſt in Diuinis proceſſio, cum in natura intellectuali duæ tantum actiones, Intelligere, & Velle collocentur.

Iſtæ Diuinæ proceſſiones relationes reales ſecum ferunt; cum enim illæ ſint in identitate naturæ, vndè Procedens, & à quo procedit in eodem conueniunt ordine, oportet & relationes ſecundum illas acceptas eſſe reales. 1. p. q. 28.
Nam licet relatio ſecundum propriam rationem ſignifi-

cet solum respectum ad aliud, in eaque aliqua inueniantur secundum rationem tantum, & non secundum rem; quod non obtingit alijs octo generibus accidentis; vndè sua ratione non dicit nec quid rei; nec quid rationis necessariò, sed vtrumque permissiuè; ab vtroque abstrahit non vt tertium quid commune, sed vtrumque proximè dicit: cum hoc tamen stat relationes Diuinas esse reales; immo sunt vnum & idem cum essentia secundum rem, cum ei Ecclesia adorationem latriæ, quæ non nisi Deitati competit, tribuat, dum ait, Et in Personis proprietas, & in maiestate adoretur æqualitas. Quæ relationes non solum sunt reales, & in Deo realiter existentes, sed etiam ab inuicem realiter distinctæ: Si enim de ratione relationis est respectus vnius ad alterum, secundum quem alteri relatiuè opponitur, quæ oppositio relatiua in sui ratione distinctionem claudit: quare in Deo realis est distinctio non secundum rem absolutam, sed secundum rem relatiuam. Nec aliter realis relatio in Deo esse potest, nisi fundata super actionem, secundum quam est duplex processio in Deo ad intra, vna secundum actionem intellectus, altera secundum actionem voluntatis: secundum vnamquamque duæ sunt relationes oppositæ, vndè fit vt tantum quatuor sint relationes reales, Paternitas, Filiatio, Spiratio, Processio.

1.p.q. 29. Si vel communem personæ rationem, vel Diuinę propriam spectes, vtroque modo eam Deo attribuimus. Ratio communis personæ est, Rationalis naturæ indiuidua substantia: Diuina verò persona significat Relationem per modum substantiæ, quæ est Hypostasis subsistens in natura Diuina. Et sicut sub ratione illa communi commune est hoc nomen Deo & creaturis, ita tamen vt excellentiori modo de Deo dicatur quam de Creaturis; nam cum significet perfectissimum in tota natura

nempe subsistens in natura rationali; Deo proculdubio attribuendum est omne, quod est perfectionis, & modo nobiliori. Ita sub ratione propria in solo Deo locum habet: vbi cum de suo formali significato relationem importet, de materiali vero essentiam, plures dicimus esse personas, vt Alia sit Persona Patris, alia Filij, & alia Spiritus sancti. Nam si à Deo propter summam vnitatem excluditur omnis pluralitas absolutè dictorum; simul tamen pluralitas relationum admittitur. Quapropter nomina secundum quod spectant ad relationem pluraliter prædicantur in Diuinis, singulariter vero si ad substantiam, quæ si substantiuè essentiam significent singulariter tantum de tribus personis prædicantur; sin autem adiectiuè illam importent, de tribus personis in plurali dici concedimus. Quas personas nec plures, nec pauciores esse quam tres fatemur: hac de causa vtimur in Diuinis nomine Trinitatis; & Deus dicitur Trinus, non tamen triplex, cum triplicitas proportionem inæqualitatis significet, quam in Deo statuere execrandum esset facinus: Cum totæ tres personæ Coæternæ sibi sint, ac Coæquales; æqualitate quidem summa, vera, prima, & perfecta, quæ tamen in Deo non est realis relatio sed rationis, cum fundamentum vnum numero tantum sit. Aequales inquam eas dicimus in Magnitudine, & in Aeternitate: Ordo enim naturæ in Diuinis non est quo alter sit prior altero, sed quo alter est ab altero; nullamque prioritatem in Diuinis admittimus, sed ordinem tantum Originis: quo ordine stante sine prioritate rectè Patrem personam primam, Filium secundam, Spiritum sanctum tertiam esse dicimus.

1.p.q.30. 1.p.q.31 ar.1. 1.p.q.42.

Aequalis item est filius Patri in potestate: licet potentia generandi vt sic verè sit in Patre, quod non in Filio; attamen nulla est potentia in Patre quæ non in Filio: im-

mò & ipsa potentia generandi alia ratione est in Filio; sicut & eamdem essentiam habet Filius, quam habet Pater, sed non eodem modo.

Cum tanta æqualitate, similitudine, Vnitate, & Simplicitate, Vnaquæque persona suis tamen gaudet proprietatibus, atque quædam munia sibi vendicat, quæ alteri attribui, de altera persona prædicari non possunt.
1. p. q. Sicut de prima Persona meritò affirmat D. August.
33. quod est Principium totius Deitatis, principium inquã non ab alio; Cuius nomen proprium, est Pater; sicut & esse ingenitum tantùm illi competit. Ita secunda Perso-
1. p q. na Filius, & Verbum dicitur: Hoc enim propriè sum-
34. ptum in Diuinis est nomen non essentiale, sed personale, & proprium nomen personæ filij, non commune, non extraneum, non Metaphoricum: Nam Verbum de se significat quamdam Emanationem intellectus, & in Diuinis propriè aliquid ab alio procedens, & principaliter importat relationem ad dicentem, vt verè sit relatiuum secundum esse. Nam si etiam nomine Verbi respectus ad creaturas importetur, illum non ex proprietate personæ, sed ratione essentiæ dicit; ratione inquam essentiæ non absolutè sed vt est in Verbo & Deo genito. Nam Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ in eius scientia continentur, concipit Verbum, sic ex notitia omnium gignitur; vndè respe-
1. p. q ctum ad res Verbo dictas claudit. Nec solum filius ap-
35. pellatur Verbum, sed etiam Imago nomine personali, ipse enim solus est imago Patris.

1. p. q. Tertia demum persona, cum per modum amoris pro-
36. cedat, nomine proprio ex vsu scripturæ illi accomodato Vocatur Spiritus sanctus; quem cum Ecclesia fateatur à Patre & Filio non factum, nec Creatum, nec genitum, sed procedentem, necesse habemus etiam confiteri

Spiritum ſanctum à filio eſſe: A quo ſi non procederet, nec perſonaliter ab eo diſtingueretur, cũ ſola relatio ſecundum originem diſtinguat in Diuinis, ita Theologi, & Concilia clamant, In Diuinis omnia ſunt vnum, vbi non eſt oppoſitio relatiua. Poteſt etiam dici, quod procedat à Patre per filium, dummodo tamen fateamur ab vtroque procedere vt ab vno principio, quod ſtat pro duabus perſonis ſimul, non pro altera ſeorſum. Ideò iurè meritò negat D. Tho. hanc propoſitionem, Pater & filius ſunt vnũ Principium quod eſt Pater. Hi autẽ in ratione principij ſpirandi ipſa ſpiratione conſtituuntur; neque enim Paternitas conſtituit Patrem completè vt principium non ſolum in ratione generãdi, ſed etiam ſpirandi: ſic neceſſariò & per ſe exigit vt ſit à pluribus ſuppoſitis, ſi à filio diſtinctus eſſe debet Spiritus ſanctus. Cui etiam pro nomine proprio aſſignatur amor, dicamusq. Patrem & filiũ diligere ſe Spiritu ſancto. Cumque Diuinæ perſonæ competat dari, & eſſe donum, Hoc nomen ſumptum in Diuinis perſonaliter eſt proprium nomen Spiritus ſancti non ſolum ex vſu, & accommodatione doctorum, ſed ex vi ſuæ ſignificationis. [1. 1. q. 37.] [1. 1. q. 38.]

Quod ſi omnes has perſonas cum eſſentia, vel cum relatione ſeu proprietate, vel cũ actu notionali comparare libuerit; in illis cum eſſentia & eſſentialibus nominibus ac prædicatis collatis contemplamur Identitatem, Prædicationem, Suppoſitionem, & Appropriationẽ. In identitate ſunt vnum ſecundum rem eſſentia & Perſona, & congruè vnam eſſentiam eſſe trium perſonarum, & tres perſonas vnius eſſe eſſentiæ affirmamus. In Deo namque ſecundum ſe nulla prorſus eſt diſtinctio actualis, cum ſit vnica, atque maximè pura natura nullam penitus admittens rei extraneæ admixtionem, cui ſummæ, ac vnicæ rei ita ratio formalis vna ſimiliter reſpondet, vt nullã à parte [1. 1. q. 39.]

ſui obtineat actu diſtinctionem; licet in Deo ſecundum ſe ſit diſtinctio rationis quoad fundamentum,ſeu virtualis: & in eo vt actu terminat noſtri intellectus actum eſt diſtinctio rationis actu,multiplicepsq. de eo formamus conceptus.

In Prędicatione nomina eſſentialia ſubſtãtiua in concreto prædicantur ſingulariter de tribus perſonis ad pluralitatem namque nominis ſubſtantiui habenda eſt ratio non ſolius formæ, ſed etiam ſuppoſiti, aliter artifex habens plures artes diceretur plures artifices, & Chriſtus eſſet duo propter duas formas, & naturas.

In Suppoſitione nomina eſsẽtialia in concreto poſſunt propriè ſupponere pro perſona: vt Hoc nomen Deus poteſt propriè ſtare pro eſſentia, & pro perſona vna,& pro duabus, & pro tribus quà occaſione affirmamus hunc Deum indiuiduum non ſuppoſitum, Vnamq. ſubſiſtentiam abſolutam,tres vero relatiuas. Eadem autem nomina in abſtracto ſumpta non poſſunt ſupponere pro perſona. Appropriatio tandem eſſentialium cum ipſis perſonis conueniens fuit ad fidei manifeſtationem, quam de tribus perſonis habemus.

1.1.q. 40. De Perſonis vero cum relatione ſeu proprietate collatis,dicimus eas eſſe vnum & idem, cum ſuis proprietatibus,quæ & ſunt perſonæ, & ſunt in perſonis;quo enim & quod non differunt in Diuinis;eaſque relationibus diſtingui affirmamus,cum ſola relatio multiplicet Trinitatem. Ita vt relatio ſub ratione relationis vt ratione differt ab eſſentia conſtituat, & diſtinguat perſonas non tantum incommunicabiles, ſed etiam vt ſubſiſtentes. Nam Paternitas dat Patri non ſolum vt referatur ad filium, ſed etiam vt in ſe ſubſiſtat perſonali,& relatiua ſubſiſtentia. Hæc de relatione formaliter intelligenda ſunt, nam radicaliter omnia habet ab eſſentia. Vnde ſi proprietates

personales remouerentur non remanerent personæ,cum eas relationibus distingui,& constitui dictum sit,affirmare etiam licet eas se ipsis constitui, ac distingui.

Ipsas demum personas si cum actibus notionalibus componamus, hi necessariò illis attribuuntur ad significandum ordinem Originis. Actus notionalis generationis filij dicitur voluntarius voluntate comitante, non in genere principij: Spiritus sanctus verò licet per actum voluntatis producatur, necessariò tamē necessitate simpliciter & omnibus modis procedit, quia non prodit à voluntate vt libera facultas est, sed vt natura quædam est: ideò melius dicitur quod procedit naturaliter, non tamē per modum naturæ. Et vt nihil desideretur, in Deo sic operante potentiam respectu actuum notionalium affirmamus;est enim principium, quo agens agit,naturamq́. in rectò significat, & in obliquo relationem: quia si ex æquo vtrumque diceret, cum filius sit similis principio, quo pater generat (potentia autem principium dicat)esset similis non tantum in natura Diuina,sed etiam in Paternitate, sic periret inter eos personarum distinctio. i. i.qu. 41.

Quis hæc ineffabilia Dei opera indagare, & contemplari satis pro dignitate posset, nisi Deo reuelante, lumineq́. fidei suffultus: naturali etenim ratione impossibile est in cognitionem Trinitatis Diuinarum personarum deuenire. Laudemus ergo incessanter Dominam cui placuit reuelare ista paruulis. Interim ad alia eius opera pergamus. 1.1.qu. 32.

DE DEO OPERANTE

In omnibus creaturis quoad esse naturæ, Creando, Gubernando, & Conseruando.

1.1.q. 9. SAPIENS Deum omnia operantē cōtemplatus illū sub nomine Sapientiæ super omnia mobiliorem affirmauit, omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Ipse si quidē in se & summè, & solus est immutabilis, Ego Deus & non mutor; talis est primi entis, omnino simplicis, & infiniti in perfectione natura: attamē si eundem vt ad opera exteriora exercenda progreditur, consideremus, omnibus mobilibus mobilior est prout suam similitudinē diffundit vsque ad vltima rerū: quia Diuinæ sapientię similitudo gradatim procedit à supremis, quę magis ei sunt similia, vsque ad vltima rerum quæ minus participant, & vocatur quidam processus, & motus diuinæ sapientię. Omnibus vero mobilibus mobilior dicitur, ne res aliqua ab eius operatione se subtrahat. Omnia vtique alia vt potè participantia varios gradus, & modos essendi necessariò sunt effectiuè ab ipso ente per se subsistente, & per essentiam, qualis est Deus. A qua causalitate nec ipsa materia subducitur dicente D. Aug. Duo fecisti Domine, vnum prope te, scilicet Angelum, aliud propè nihil scilicet materiam primam. Quæ cum pertineat ad esse rerum, & Deus sit earum causa inquantum entia sunt, de cuius ratione est, vt res operetur secūdū omne illud, quod ad esse eorū spectat, ideo materiā à Deo creatam ponimus. Et vt expresè cōstat oīa naturalia formas determinatas cōsequuntur (hic est proprius effectus causę exemplaris) ideo Deū primū oīum exēplar statuimus; & oīa pp semetipsū

1.1.q. 44.

fuisse operatum velut causam finalem, quæ est eius Bonitas; cuius communicatio est finis tam Dei agentis, quã patientis, quem creatura conatur consequi.

Communicat autem Deus bonitatem suam rebus per Creationem, quæ est emanatio totius entis à causa vniuersali, cui impossibile est vt aliquod ens præsupponatur; quare creare est ex nihilo aliquid facere: Ex nihilo equidem est creatio, aliquid tamen in creato ponit, & est relatio quędam ad creatorem vt ad principium sui esse, quod propriè competit subsistentibus siue simplicia sint siue composita, istis enim cõuenit propriè fieri & esse. Hocq; taliter est opus solius Dei, vt impossibile sit alicui creaturæ cõmunicare, quod creet, Nec virtute propria; quia cũ producere esse per se primo absolutè ad rationem spectet creationis; qui est effectus, proprius Dei, nam cum sit vniuersalissimus in causam vniuersalissimam reducitur, nec alia est talis causa nisi Deus: qui potẽtia sua infinita creare potest. Nec instrumentaliter, cũ de ratione instrumẽti sit participare actionem agentis superioris, inquantũ per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis, quod nullatenus locum habere potest in effectu proprio Dei creãtis; cuius actio est ex nihilo, sic nihil potest ei præsupponi, quod per instrumenti actionẽ disponi valeat. Soli Trinitati creare reseruatur, vt commune sit opus, non propriũ alicui Diuinę personę; quæ tamen ratione suarum processionum habent aliquã rationem, vel causalitatem respectu creationis rerum: In quibus & vestigium, & Imago Trinitatis respectiuè reperitur. 1. 1. qu. 45.

Omnibus rebus à se creatis Deus & durationis suæ principium, ordinẽ, distinctionem, inæqualitatemq. sua dispositione ineffabili præfixit. Fides vtique Catholica docet, Nihil præter Deum fuisse ab æterno: quippe cum 1. 1. q. 46.

DE DEO OPERANTE In omnibus creaturis quoad esse naturæ, Creando, Gubernando, & Conseruando.

1. 1. q. 9. SAPIENS Deum omnia operantẽ cõtemplatus illũ sub nomine Sapientiæ super omnia mobiliorem affirmauit, omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Ipse si quidẽ in se & summè, & solus est immutabilis, Ego Deus & non mutor; talis est primi entis, omnino simplicis, & infiniti in perfectione natura: attamẽ si eundem vt ad opera exteriora exercenda progreditur, consideremus, omnibus mobilibus mobilior est prout suam similitudinẽ diffundit vsque ad vltima rerũ: quia Diuinæ sapientię similitudo gradatim procedit à supremis, quę magis ei sunt similia, vsque ad vltima rerum quæ minus participant, & vocatur quidam processus, & motus diuinæ sapientię. Omnibus vero mobilibus mobilior dicitur, ne res aliqua ab
1. 1. q. 44. eius operatione se subtrahat. Omnia vtique alia vt potè participantia varios gradus, & modos essendi necessariò sunt effectiuè ab ipso ente per se subsistente, & per essentiam, qualis est Deus. A qua causalitate nec ipsa materia subducitur dicente D. Aug. Duo fecisti Domine, vnum prope te, scilicet Angelum, aliud propè nihil scilicet materiam primam. Quæ cum pertineat ad esse rerum, & Deus sit earum causa inquantum entia sunt, de cuius ratione est, vt res operetur secũdũ omne illud, quod ad esse eorũ spectat, ideo materiã à Deo creatam ponimus. Et vt expresè cõstat oĩa naturalia formas determinatas cõsequuntur (hic est proprius effectus causę exemplaris) ideo Deũ primũ oĩum exẽplar statuimus; & oĩa pp semetipsũ

fuisse operatum velut causam finalem, quæ est eius Bonitas;cuius communicatio est finis tam Dei agentis,quã patientis, quem creatura conatur consequi.

Communicat autem Deus bonitatem suam rebus per Creationem, quæ est emanatio totius entis à causa vniuersali,cui impossibile est vt aliquod ens præsupponatur; quare creare est ex nihilo aliquid facere: Ex nihilo equidem est creatio,aliquid tamen in creato ponit,& est relatio quędam ad creatorem vt ad principium sui esse,quod propriè competit subsistentibus siue simplicia sint siue composita; istis enim cõuenit propriè fieri & esse. Hocq; taliter est opus solius Dei, vt impossibile sit alicui creaturæ cõmunicare,quod creet, Nec virtute propria;quia cũ producere esse per se primo absolutè ad rationem spectet creationis;qui est effectus,proprius Dei,nam cum sit vniuersalissimus in causam vniuersalissimam reducitur, nec alia est talis causa nisi Deus:qui potẽtia sua infinita creare potest. Nec instrumentaliter, cũ de ratione instrumẽti sit participare actionem agentis superioris,inquantũ per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis, quod nullatenus locum habere potest in effectu proprio Dei creãtis; cuius actio est ex nihilo, sic nihil potest ei præsupponi, quod per instrumenti actionẽ disponi valeat. Soli Trinitati creare reseruatur, vt commune sit opus,non propriũ alicui Diuinę personę; quæ tamen ratione suarum processionum habent aliquã rationem, vel causalitatem respectu creationis rerum:In quibus & vestigium, & Imago Trinitatis respectiuè reperitur. 1.1.q. 45.

Omnibus rebus à se creatis Deus & durationis suæ principium, ordinẽ, distinctionem, inæqualitatemq́. sua dispositione ineffabili præfixit. Fides vtique Catholica docet, Nihil præter Deum fuisse ab æterno:quippe cum 1.1.q. 46.

aliqua intantum necesse est esse, in quantum necesse est Deum velle illa, cuius voluntas est causa rerum, & effectus necessitas ex necessitate causæ dependeat; Nihil autem necesse est Deum velle nisi seipsum, & mundus eatenus est, quatenus Deus vult illum esse, nempè in principio temporis; sicut dixit Moyses, In principio creauit Deus Cælum & terram. Quod cum sit articulus fidei, nullatenus demõstratione probari potest: nõ ex parte ipsius mundi, cum vnumquodq; secundum rationem suæ speciei abstrahat ab hic, & nunc: nec ex parte causę agentis per voluntatem; Dei enim voluntas ratione inuestigari non potest, nisi circa ea, quæ absolutè necesse est Deum velle, qualia non sunt volita circa creaturas.

1.1.qu. 47. Creatarum rerum multitudo, & distinctio non ex sola materia, nec ex ea simul cum agentibus secundis ortum habet; sed ex intentione primi agentis Dei, qui res produxit in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, & per eas repręsentandam; sic multas, & diuersas creaturas produxit, vt quod vni deest suppleatur ex alia: per vnam enim creaturam sufficienter repræsentari non poterat: hinc Moyses ait res esse distinctas verbo Dei, quod est conceptio sapientiæ. Dixit Deus fiat lux, & diuisit lucem à tenebris. Hæc autem sapiẽtia Dei sicut est causa distinctionis rerum propter vniuersi perfectionem, ita & inæqualitatis eadem ratione: Non enim vniuersum esset perfectum si tantum vnus gradus bonitatis inueniretur in rebus; ita tamen vt res tam diuersæ, & inæquales vnum numero mundum constituant vnitate ordinis.

1.1.qu. 48. De cuius mundi perfectione sicut est necessaria rerũ inæqualitas, vt omnes bonitatis gradus impleantur, consequens sit, vt non tantum entia incorruptibilia, sed etiã corruptibilia dentur, quæ & à bonitate deficere possunt,

& interdum deficiunt: vnde malum in rebus inuenitur, cuius ratio in eo posita est, vt aliquid à bono deficiat. Non enim malum natura quædam est, sed quædam absentia boni: in bono autem tamquam in subiecto propriā sedem habet, cum sit remotio boni accepta priuatiuè. .p.1.1 101 Bonum illud, cui opponitur malum totaliter tollitur per malum, vt lumen per tenebras, visus per cęcitatem: bonū vero subiectum mali nec tollitur totaliter nec diminuitur, neque enim per tenebras aliquid de aeris substantia diminuitur. Adest & tertium bonum, quod diminuitur quidem per malum, non tamen totaliter tollitur, sicut est habilitas subiecti ad actum. Nec aliud in rebus voluntarijs malum reperitur, quod rationem pęnæ, vel culpæ non habeat: plus autem habet de ratione mali culpa quam pœna, cum per illam & non per istam homo fiat malus, & Deus istius & non illius sit auctor, & causa. Nec 1.1.qu. aliundè, dicebat D. Aug. posset oriri malum nisi ex bono, 49. quare bonum est causa mali, non formalis nec finalis, sed materialis, & per modum agentis per accidens. Ita vt malum actionis, quod in defectu actionis, consistit semper ex defectu agentis causatur; & hoc non reducitur in Deum sicut in causam: malum verò rei in aliquarum rerum corruptione consistens, siue in naturalibus, siue in volūtarijs, in Deum vt in causam reducitur: Nam si principaliter intentum à Deo in rebus creatis est bonum ordinis vniuersi, qui ordo expostulat, vt sint quædam, quæ deficere possint, & interdum deficiāt, ideo Deus causando in rebus bonum ordinis vniuersi, ex consequenti, & quasi per accidens causat corruptiones rerum. Ad quē etiam ordinem rerum spectat ordo iustitiæ vt peccatoribus pœna inferatur. Sic malum pœnæ nō culpæ operatur Deus. Ex quo hæreticorum deliramentum dissipatur, vt sit vnum summum malum, quod sit causa omnis mali;

cum malum ex bono causetur, nec aliam causam habere potest nisi per accidens, vnde prima non esset.

1.1.q. 103. Completo creationis opere requieuit Deus ab operibus inquam nouis condendis; attamen alia operandi ratione ac modo continuè in eisdémet rebus conditis operatur, dum creaturam conditā conseruat & administrat. Ita certus ordo rerum mūdi gubernationem apertissimè testatur; & summa Dei bonitas exigit, vt res ad vltimam perfectionem conducat, quę in consecutione finis posita est, res vero ad finem perducere, eas gubernare est. Gubernationis autem totius mundi finis, sicut & principiū, est quoddam bonum extrinsecum vniuersale, & per essentiā scilicet Deus. Vniuersa propter se operatus est Deus, dixit Salomon. Cuius gubernatio, cum sit optima, ab vno tantum principio pendet; effectus vero illius principalis vnus quidem est nempè assimilari summo bono, generales verò duo sunt scilicet, rerum conseruatio in bono, & motio earum ad bonum: at in particulari innumerabiles nobis reputantur. Sicut nihil omnino dari potest, quod diuinæ gubernationi non subdatur, vt dicamus cum D. Aug. Deus nō solum Cælum & terram, nec solum hominem & Angelum, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis penulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium cōuenientia derelinquit. Nec nouum alicui id videri debet; si enim est causa vniuersalis totius entis, vt nil esse potest non creatū à Deo, & gubernationis finis sit ipsa sua bonitas, in quā omnia ordinantur, pariter & omnia eius Diuinæ prouidentiæ subdi necesse est. Immediatè quidem si rationem ipsam gubernationis spectemus: sin autem exequutionis habeatur ratio mediātibus alijs, vt hac ratione maior rebus gubernatis perfectio à gubernante communicetur; dum non solum eas bonas in se facit, sed vt & alijs causa

sint bonitatis. Et sic tota hæc rerum & operũ series tã infallibili tenore regitur, vt nil eueniat præter ordinem, quem Deus vt prima causa vniuersalis totius entis suæ gubernationi præfixit: Contra quem nullus in vniuersali potest esse renitens, vel non obediens.

Cũ inter gubernationis effectus ipsa rerũ conseruatio numeretur, omnia à Deo optimo maximo cõseruari quis dubitet? Omnis quippe effectus, qui à sua causa depẽdet in fieri, & in esse (qualis est omnis creatura respectu Dei) directè eget ab eademmet causa conseruari: non excludit tamen causas secundas medias rerum, quarumdam conseruatiuas: in ipsa etenim rerum creatione ordinem in rebus instituit, vt quædam ab alijs depẽderent, per quas secundariò conseruarentur, principali præsupposita conseruatione, quæ ab ipso est. Sicut Deus cuncta gubernat, & conseruat eis influendo esse, ita posset si vellet, subtrahendo manum omnia in nihilum redigere; at non cessabit Deus ab opere conseruationis, nil in nihilum rediget, Didici quod omnia (ait Salomon) opera, quæ fecit Deus, perseuerant in æternum; per quod magis Diuina potentia, & bonitas ostenditur, dum res & in esse conseruat, & ad bonum mouet. Nã & immediatè mouere potest materiam ad formam & intellectum creatum dando ei tum virtutem intellectiuam, tum speciem intelligibilem, & voluntatem ipsam dando volendi virtutem ipsam interius inclinando: vt in vniuersum fateri necesse sit, nullum esse opus in aliquo operante, quod non operetur Deus, & vt finis, & in ratione agentis, & secundum formam siue applicando formas & virtutes ad operationem, vel dando formam, virtutes, & actionum principia, siue dum eas in esse conseruat. Hac etenim ratione Deum intimè in omnibus rebus adesse asserimus, inquãtum in eis aliquid immediatè operatur, nempe esse effectum Dei propriũ;

1. 1. q. 104.

1. 1. q. 105.

1. 1. q. 8.

quod Deus in rebus cauſat & quando eſſe incipiunt, & ab eodem eſt, quandiu in eſſe conſeruantur. Inſuper hoc ſibi vt proprium retinens, agere aliquando præter ordinem ipſis rebus inditum, prout à qualibet ſecundarum cauſarum dependet: quod eſt magna, mirabilia, vel (vt verius loquar) miracula operari, quæ diuinæ virtutis & operationis numquam nō ſunt infallibile teſtimonium.

DE DEO OPERANTE

In Homine peculiari modo per Prædeſtinationem.

VARIOS, multiplicesq́. Dei in natura rationali operantis modos, atque rationes admirās Regius Propheta cecinit, Mirabilia ſunt opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Et cum eo Iſaias. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Creatura vtique rationalis per liberum arbitriū eſt Domina ſui actus inter cætera creata, cui proinde documenta, & præcepta viuendi ſtatuūtur, illiusq́. actiones illi vel ad culpam, vel ad laudem imputātur: Hinc neceſſariò fit, vt eius peculiari ſuauiq́. modo Deus curam gerat. Et ſicuti in ordine ad omnia communi Prouiſoris nomine fulget, ita reſpectu rationalis creaturæ Prædeſtinātis titulo inſignitur. Prædeſtinatio eſt tantum reſpectu eorum, quæ ſunt ſupra naturæ facultatem, gratiæ inquā & gloriç; Prouidentia vero reſpectu omnium: illa eſt tantum habentium voluntatem; iſta eſt rerum omniū: illa eſt tantum naturæ intellectualis, & eorum quæ ad ſalutem

pertinent;illa ordinem in finem vniuersaliter dicit. Cūq. 1.1.q. 22.
omnia Deus in suum ordinet finem, prouidentiā habere
omnino necesse est: q̄ in sui ratione supra ordinis rationē
in finem,eiusdem etiam ordinis assecutionē importat: nā
Diuina prouidentia nullatenus frustrari valet, nihilq. eā
penitus potest subterfugere, sed omnia eo prorsus modo
eueniant oportet,quo ab ipsa manēt disposita: sin autem
ordo tantum, & non etiam finis consecutio de eius esset
ratione,non omnia ambiret,nō omnia ei essent subiecta,
non attingeret à fine vsque ad finem fortiter omnia; &
euenirent multa,quæ ei comparata fortuita essent. At si-
cuti diuina causalitas ad omnia se extendit, ita Diuinæ
prouidentiæ omnia subiacere non in vniuersali tantum,
verum & in singulari fas est:vt etiam dicamus actus ipsos
peccatorum, vt actus sunt esse proprios effectus Diuinæ
prouidentiæ,ab eaq. intentos. Non omnibus tamen re-
bus imponit necessitatem,sed quibusdam tantum.

Hac ratione omnia regit,& in oībus operatur Deus;at 1. 1.q.
in homine modo quodam eminentissimo, ac planè inef- 23.
fabili, vnde & ratio operādi in natura intellectuali pecu-
liare sortitur nomen, vocaturq. Prædestinatio, quæ est
Ratio transmissionis creaturę rationalis in vitam æternā:
clauditq. actum voluntatis, & intellectus, huius tamen
actum intimè ac primo eam esse ponimus; pars est enim
subiectiua Prouidentiæ. Quà ratione non est aliquid in
Prædestinato, sed in prædestinante; licet eius executio
passiuè sit in prædestinato,actiuè in prædestināte. Taliq.
via & ratione sua benignitate, voluntate,& Decreto tan
tum misterium operatur Deus, vt nullam causam agno-
scat ex parte hominis cur Prędestinet,sed neque propter
merita aliqua ordinauit alicui se daturum prædestinatio-
nis effectum. Qui licet in particulari causam habere pos-
sit,& habeat, vt alter sit ratio & causa alterius, posterior

enim est prioris finalis, & prior posterioris meritoria seu vt materialis: attamen effectus ipse in cõmuni seu totalis impossibile est, vt ex parte nostra causam aliquã habeat, at solum diuinam voluntatem, atque relucẽtiam diuinæ bonitatis per modum misericordiæ. Vnde ex parte hominis ipsi effectui prædestinationis nulla potest assignari causa nec præcedẽs in alia vita, nec in ista vita in omni rigore meriti vel condigni; nec aliquid quod sit vt quædã dispositio vel præparatio rationem congrui obtinẽs, vel rationis seu conditionis tantum: nec quod sit vel causa efficiens & physica, vel meritoria & vt moralis, vel positiua & negatiua seu non repugnantia; cum sacra volumina solam Dei misericordiam agnoscant, omniaq. hominis opera excludantur, etiam ipsa cogitatio. Quò fit, vt nec ipsemet bonus vsus præuisus liberi arbitrij conditio & ratio Prædestinationis esse possit. Hæc Dei operatio est certissima & infallibilis, sicut & numerus eorũ; quos compræhendit, est ipsi Deo & formaliter, & materialiter certus; non tantum vt cognitus, verum & vt electus ac principaliter prædefinitus.

Ista Dei operatio erga homines semper fuit omni iure admirabilis, & ineffabilis, atque inter arcana in genus humanum sine controuersia primatum sibi vendicans, de qua Paulus, O altitudo diuitiarum scientiæ ac sapientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Ex ea postea tot alij consequuntur operandi modi, quibus veluti vijs & medijs vtitur Deus, vt homines ad æternam pertrahat fœlicitatem, & vltimus prædestinationis effectus plenè, perfecteq. possideatur. Ideo in nobis operatur Deus per virtutes, quas infundit; per legem quam præscripsit; per gratiam, quam liberè largitur; per sacramenta, quæ instituit; vt tandem cum esse gloriæ glorificando Corpus & animam opere-

tur operatione, quæ numquam habitura est finem, omnium aliorum operum cõsummatio & finis. Singula hęc Dei opera per sua capita perstringamus.

DE DEO OPERANTE

In Homine per Virtutes.

ESSE Diuinum cum sit vniuersuliter perfectum, omniumq. entium perfectiones ea, quà decet, dignitate, & eminentia in se cõcludens, omnia entia, omnesq. essendi gradus operatus est Deus, vniuersam rerum molem singulis propria distribuens fabrefecit. Nec minoris est eius bonitas ambitus omnium quippe bonitates comprahendens omnes etiam virtutes (cum virtus quædam bonitas sit) certum est continere suo modo (nõ enim de omni virtute par est ratio, immo valdè dissimilis, sic nõ eodem pariter gradu diuinæ ascribuntur bonitati,) quare virtutes Diuinę nostrarum sunt exemplares vt perfectum imperfecti, atque contracta, & particulata similitudines quædam entium absolutorũ sunt: vnde Deum fontem, originem, operatoremq. nostrarum virtutum fatemur: neque enim rebus solum esse & naturam, sed etiam principia, & virtutes ad proprias operationes exercendas contulit. At virtus in natura tantum rationali iuxta rei proprietatem locũ habet, vt videre est, si eius subiectum & essentiam inspiciamus. Virtus enim humana cum importet perfectionem potentiæ, sitque habitus operatiuus (operatio vero procedat ab anima per aliquam potentiam) disponatq. ad

1.2.qu. 61.ar.5

1.2.qu. 56. & q.55.

optimum, quod est finis vel vt operatio, vel vt consecutũ per operationem à potentia egredientem, ideò necesse est vt in animæ potentia velut in subiecto propriam habeat sedem, nempè in intellectu, voluntate, Irascibili, & Concupiscibili, hæ sunt propriæ virtutum sedes.

At cum nostrum nõ sit de omnibus virtutibus, earum distinctione, numero qualitate, causa, cõnexione; & augmento sermonem contexere, sed de modo duntaxat, quo Deus singulari titulo per quasdã virtutes in natura operatur rationali, quarum ipse se glorietur esse immediatã causam, & obiectum: quales illæ sunt, quibus omni ex parte perfecta & completa virtutis definitio à D. Aug.
1.2.q. 55.ar.4. tradita congruit, quà dicitur, Virtus est bona qualitas mẽtis, quà rectè viuitur, quà nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: quod de solis virtutibus infusis verificatur; ideò cæteris dimissis Dei operationem per has virtutes in nobis nostra prosequatur oratio. Illas
1.2.q. 62. meritò Diuinas, Theologicasq. appellamus, cum earum obiectum sit Deus, à solo Deo infundantur, & sola Diuina reuelatione in sacra Scriptura tradantur; vt potè homini necessariæ, quippe cum in supernaturalem sit ordinatus homo fœlicitatem, propter quem finem agit, sic inclinationem in finem, quamdamque finis inchoationẽ habeat oportet, alias numquam propter finem operaretur. Ad quas operationes tali fini supernaturali proportionatas habendas per totam vitam necessaria sunt principia supernaturalia, vt sic & principium operationi, & operatio fini correspondeat: Istaq. principia sunt Theologicę virtutes specificè ab intellectualibus & moralibus distinctæ, numeroque ternario conclusæ, videlicet Fides, Spes, Charitas, vt sic tam secundum intellectum, quam per voluntatem homo per cognitionem finis, & intentionem ad eum perueniendi possibilitate illius, ac boni-

tate sibi proposita in finem supernaturalem cumulatissimè ordinetur: primo quidem per Fidem, secūdo per Spē, tertio per Charitatem; si ordo generationis inter actus harum virtutum attendatur.

Fides habitus est mentis, quo vita in nobis æterna inchoatur, vocaturq. à D. Paul. Substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium. Hæc virtus vna specie specialissima existens omnium tam Theologaliū, quam moralium prima est; certitudine verò longè superat omnes alias intellectuales; Prudentiam & artem ratione materiæ, hæ sunt de temporalibus illa de æternis; sapientiam, scientiam, & intellectum ob causam certitudinis, istæ rationi humanæ, fides diuinæ innititur veritati. Veritatem cognoscere intellectui damus, in quo & ipsa residet fides; cuius actus nempè credere licet voluntatem vt mouentem, informantem, atque imperantem respiciat, nullum tamen aliud proprium principium elicitiuum agnoscit nisi intellectum; qui intellectus vt est motus à voluntate ipsius fidei statuitur subiectum. Sicut fides in communi & eius actus à voluntate dependēt, omne nāque credere est voluntarium: ita fides & eius actus, vt omnimoda perfectione gaudeant, voluntatē exigunt habitu Charitatis perfectam, quæ forma fidei iurè meritò statuitur: cum tamen etiam fides informis reperiatur. Quinimmo habitus fidei formatę & informis vnus idéq. est, & vna numero fides de informi formata, dū Christianus pęnitens acquirit Charitatem, & è contra de formata fit informis, dū existens in Charitate in peccatum mortale labitur. Hanc itaque virtutem Deus velut causa propria & principalis, quæ interius mouet, in nobis operatur tam quoad credibilia, quæ sunt materia fidei, quæ cum excedant rationem humanam cadunt in hominis cognitionem tantum reuelante Deo; quam quoad assensum

2.2. qu. 4.

2.2. qu. 6.

actum fidei principalem, cuius causa interior mouẽs ho-
1. 2. q. 5. minem est ipsemet Deus. Cumq. etiam habẽs fidem informem assensum eliciat de rebus supra naturam humanam fit, vt ipsa quoque fides informis Donum Dei sit, sicut & formata; quam Deus & Angelo ante confirmationem, & Homini ante peccatum infudit.

2. 2. q. 17. Fidei succedit spes altera virtus, per quam actus humanus debitam attingit regulam Deum; cuius obiectũ est bonum arduum futurum possibile haberi: secundaq. inter Theologicas connumeratur, cũ pro obiecto principali & immediato (hoc enim est de ratione Theologicæ virtutis) habeat ipsum Deum supremum actuum humanorum regulam: quam attingit vt primam causam efficientem, pro quanto eius innititur auxilio; & vt vltimã causam finalem, inquantum expectat beatitudinem, Deiq. fruitionem. Quo fit, vt sicut in alterius auxilio, velut principali mouente sperare nephas est, obtestante Hierem. Maledictus homo qui confidit in homine. Ita nil minus à Deo sperandum est, quam sit ipsemet Deus, bonum infinitũ, quod est vita æterna, vt proprium obiectum Spei: Quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis
2. 2. q. 18. veniens ex gratia Dei; & statuitur in voluntate vt in sibi propriè debita sede. Non tamen eam ponimus in Beatis, quibus Beatitudo nõ est futura, quod videt quis quid sperat: sed nec in Damnatis, quibus Beatitudo non est bonũ amplius possibile: sed in viatoribus spes & firma, & certa collocaturi hac diuino auxilio confisi homines per bona opera ad vitam tendunt æternam, vbi plenam assequemur beatitudinem: in cuius communicatione fundatur Charitatis amicitia, quæ beneuolentiam importat cum redamatione ad Deum fundata in beatitudinis consortio.

2. 2. q. 23. Hæc inter Theologicas virtutes, numero vltima, di-

gnitate prima in sacris eloquijs miris profectò celebratur encomijs. Cuius necessitas indè oritur, tũ vt alij actus sint meritorij, tũ potissimũ vt eius actus à potentia perfectè producatur; quod fit, quando ei est connaturalis per aliquam formam, quæ sit principium actionis, sicut videre est in naturalibus artificialibus & moralibus. Deusque ipse, qui omnia mouet ad debitos fines, indidit rebus formas, per quas inclinantur in fines illis à Deo præstitutos, vt semper verum constet ipsum omnia suauiter disponere: Ita & per formam superadditam naturali potentiæ inclinamur in Charitatis actũ, vnde necessariò quid creatum sit oportet. Et virtus quædam à cæteris distincta asseritur in bono obiecto amoris specialẽ rationem boni attingens cum sit amor Boni Diuini vt est obiectum beatitudinis: sicque specialem rationem boni habet. Eius finis vnus est Diuina bonitas, Vna pariter & communicatio æternę beatitudinis, in qua fundatur, & ipsa quoque vnitate indiuisibili in species gaudet: Atque sine controuersia illi cæteræ virtutes intellectuales, morales, & etiam Theologicæ primas honoris, Dignitatisue, nec non perfectionis deferunt. Maior horum est Charitas; quia & nobiliori modo regulam supremam humanorũ actuum attingit, & sine ea nulla vera virtus & perfecta dari potest, omniumq. virtutum forma cõstituitur; atque in voluntate residet. Diligere etenim Deum (actus Charitatis principalis) licet sit rationis vt dirigentis, attamen est appetitus vt exequentis, & elicientis. 2.2.qu. 24 ar.1

Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, & illius est quædam in nobis participatio: nullatenus ex actibus nostris causatur, etenim excedens naturæ facultatem naturale esse non potest, nec acquisitum per naturales potentias; talis est Charitas super gratuita communicatione fundata, opus Dei proprium, 2.2.qu. 24. art. 2. & 3.

eam ipse nobis infundit,non secundum capacitatem naturalium sed iuxta suam voluntaté, Spiritus vbi vult spirat,diuidens singulis prout vult. Qualiter autem Diuinus spiritus per suam Charitatem in nobis infusam ad operandũ nos impellat,& vrgeat,videamus. Nulla equidem
2.2.q. 23 ar.2 datur virtus, quæ tantam habeat inclinationem in suum actum,& delectationẽ ac Charitas.Inclinatio & delectatio per se primò conuenit amori, & ex eo cæteris: Charitas per seipsam tendit in actum formatum,aliæ per Charitaté: ex inclinatione maiori maior sequitur delectatio; quo liberius eò delectabilius quis operatur,charitas verò
2.2.q. 27. maximè liberè operatur: Eique secundũ propriam rationem & per se competit amare velut sibi proprium magis quam amari. Ita vt primò Deum propter seipsum & immediatè diligat, toto posse & viribus,nec alio modo,quã vt sine modo diligatur,vt dicamus cũ D.Bern.Causa diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere: talis amor excessum non nouit.

2.2.qu. 25. Non tamen dilectio charitatis sistit in Deo, etiam se extẽdit ad alia; Respicit Deum,proximum,Charitatem, & alia bona, Deum vt obiectum formale;proximum vt materiale sub formali, & vt materiã; Charitatem vt materiam principalem & formalem respectu aliorũ bonorum, alia verò bona vt materiam secundariam in ordine ad principalem. Charitas ex Charitate diligenda est, & ratione communi quia est amor, qui supra se reflectitur, amat quis se amare,amor amoris obiectum esse potest;& ratione propria,quia est amicitia, qua non solũ amamus amicum,sed etiam bonum volitum amico, Charitas potissimum est bonum, quod nobis & amicis optamus. Tandem D. Aug.quatuor enumerat ex Charitate diligẽda, Deus,anima, Corpus nostrũ,& proximus:nam si Charitas in communicatione beatitudinis consistit, influens

 148

beatitudinem est Deus, Participās directè ipse homo vel Angelus diligens, Participans vt socius proximus, per Redundantiam vero ipsum Corpus, sicque ista quatuor diligere debemus modo vnicuique proprio. Ab operatione Charitatis non excludimus peccatores, nec inimicos: si tamen hæc duo inter se comparentur in bonitate, Dilectio amici, & Dilectio inimici, illam ista absolutè meliorem & magis meritoriam dicimus. 2. 2. q. 27. ar. 7.

DE DEO OPERANTE

In Homine per Legem.

VNIVERSAM hominis vitam lege institutam, legisq; prescripto ordinatam regi, atque omnia eiu, opera, munia, & actus ī suos dirigi fines dictante, & præcipiente lege, Deus supremus legum lator, tum Natura, denique homo ipse fatentur. Ipsaq. legis natura seu essentia homines vitam nullatenus ducere, nec congruè, rectèq. posse operari, nisi operante Deo in homine per legis dictamen, apertissimè testatur. Est enim lex rationis ordinatio, & præceptio; nam cum sit mensura actuū & Regula, quod rationi maximè congruit, cuius est ad finē ordinare, hinc sequitur legē ad rationē maximè pertinere; at sine ratione non viuit, non operatur homo. Itē finis illius maximè est respicere ordinem, quæ est in beatitudine, ad quā pro suo quæque modo vniuersa disponat, propriè autem ordinem ad fœlicitatem communem: iuxta quem ordinem ad bonum cōmune cum lex præcipuè dicatur, consequēs ergo fit nullum aliud præceptum de particulari opere 1. 2. q. 90.

C 2 habere

habere rationem legis, nisi secundum ordinem ad commune bonum, quem ordinem lex ipsa cõtinet, at nisi cõmunis boni habeatur ratio, nec vitam socialem ducet, nec operationes suas congruè exercebit homo.

Siue commune bonum pro naturali vsurpetur fœlicitate, quam hoc sæculo adipiscimur, qui est quietus, tranquillusq́. Reipublicæ status: siue pro illa supernaturali, quę altero in sæculo veluti supremus finis noster nos manet, in quam & sæculare omne bonum suaptè natura refertur. Enimuero si primam communis boni spectes rationem, occurrit ratio, quia pars omnis ad suum totum sicuti imperfectum ad perfectũ naturali dirigitur ordine; quicumque autem ex ciuibus partes sunt Ciuitatis: Lex itaque illis præscripta in totius Ciuitatis cõmune bonum eos debet instituere, veluti vnius corporis partes, quæ ad totius commodũ ordinem habent. Concinit huic rationi Arist. Ethic. vbi ait, Iusta legalia (hoc est ciuiles leges) factiua esse, conseruatiuaq́. fœlicitatis. Si verò summam beatitudinem, quæ Deus est, altius speculemur, ad idem
1. 2. q. firmandum suffragatur & ratio: Cum fons & origo le-
91. ar. 1. gum omnium æterna sit lex Diuinæ mentis, Deus autem in seipsum cuncta ordinauit, & retulit, quare & leges vniuersę lege illa, vt in eumdem tendant scopum, regulandę sunt. Qua ratione ductus diuinus Plato volebat legumlatorem talem ordinem sequi, vt vbique & in omnibus humana ad Diuina referat.

1. 2. q. Deus etenim cũ per suam sapientiã vniuersarum rerũ
93. sit conditor, etiam præsidet gubernator omniũ actionũ, & motionũ, quæ in singulis creaturis inueniuntur: Quo fit, vt sicut ratio diuinæ sapientiæ, qua cuncta creata subsistunt, naturam accipit artis, vel exemplaris, vel Ideæ: ita ratio diuinæ sapientiæ mouentis omnia ad debitum finem naturam obtinet legis; sicque lex æterna est ipsa

 199

ratio diuinæ ſapientiæ quatenus directiua eſt omnium actuum,& motionum. Quam omnes,ſicut aliquam cognitionem veritatis habent, ſaltem quoad communia principia legis naturalis aliqualiter cognoſcant neceſſe eſt;cum omnis veritatis cognitio ſit quædam irradiatio, & participatio legis æternæ. Et ab ea omnes leges aliæ ortum originemq. trahant oportet; ſicut à primo mouẽte omnis motus, ita à primo gubernante, (in quo ratio gubernationis lex æterna dicitur) cuiusq. gubernationis norma & methodus pendet: cuique cuncta creata ſiue neceſſaria,ſiue cõtingentia,ſiue libera ſubdũtur; Creaturæ equidem irrationales per modum actionis & paſſionis tantum, rationalis verò natura etiam per modum cognitionis; quod in malis imperfectè euenit, in quibus & inclinatio naturalis ad virtutem deprauatur per habitum vitioſum, cognitioq. naturalis boni obtenebratur per paſſiones, & habitus peccatorum; in bonis vterque modus perfectior inuenitur, quia & ſupra cognitionem naturalem boni ſuperadditur eis cognitio fidei & ſapientiæ; & ſupra naturalem inclinationem ad bonum ſuperadditur eis interius motiuum gratiæ,& virtutis.

At vt ad legem humanam deueniamus, cum propriè primò & principaliter ad commune bonum ordinem reſpiciat,hinc habetur quænam ſit illius cauſa; quãdo ad commune bonum dirigere nõ ſpectat ad quemlibet, ſed totius multitudinis,vel illius curã gerentis principis munus eſt: Cõdere itaque legem poterit vel ſola multitudo, vel Princeps. Vis etenim coactiua in alios,& obligatiua, qua legem ipſam, vt ſuum attingat finem, necà ſuo fruſtretur effectu, armatã eſſe oportet, in nulla priuata perſona, at in publica tantum, qualis eſt Princeps reſidet. Quantumcumque autem lex lata ſit, & ſtatuta, numquã tamen virtutẽ & efficaciam ſortietur niſi per promulga-

1.2. qu. 90 art. 3. & 4.

tionem. Nam lex imponitur per modum regulæ, & mensuræ, cuius impositio est applicatio, quod in lege fit per manifestam illius promulgationem, secundum quam in subditorum deuenit notitiam. Ita vt corã alijs promulgata absentes etiam obliget inquantũ in illorũ notitiam
1.2.q. 92. vel deuenit per alios, vel deuenire potest. Taliterq; ad cõmune ordinatur bonum, vt eius etiam proprius effectus sit homines facere bonos vel simpliciter, vel secundum quid. Atque hunc suum effectum causat lex per varios actus sibi proprios, quorũ tres Isidorus enumerat his verbis: Omnis lex aut permittit aliquid, vt quod vir fortis præmium petat; aut vetat, vt sacrarum Virginũ nuptias nulli liceat petere; aut punit, vt qui cædem fecerit capite plectatur. Ex his adiungitur Imperium, vel præceptio.
1.2.q. 95. Ex quo facile necessitatem legum humanarũ instituẽdarum deducere licet. Aptus siquidem suapte natura est ad virtutem homo; virtutis tamen perfectio non nisi per disciplinam eidem aduenit, ad quam reluctãtibus prauis ad vitia inclinationibus nullus sibi sufficit; proteruis vero, & in peccata valdè procliuis paterna nõ sat est admonitio; legum igitur vi, atque metu coercẽte opus est disciplina: teste etiam philosopho dicente: Sicut Homo si sit perfectus virtute, est optimum animalium; ita si sit separatus à lege, & iustitia est pessimum omnium; quare legibus humanis opus est. Quas omnes ab vna lege naturæ deriuari fatemur: quoniam humanæ leges eatenus leges sunt, quatenus iustitiam continent, iustitiã vero sapiunt, quatenus rectæ cõsonant rationi, cuius regula est lex naturæ: ad quã omnes actus virtutũ, quatenus virtuosi sũt, spectant: Vnaq; apud omnes viget, ius naturale, ait Isidorus, cõmune est omni nationi; & hoc quantum ad prima principia legis naturæ, iuxta quæ etiam omninò immutabilis perseuerat: Pariter nec à cordibus hominum

deleri in vniuersali quoad principia cōmunia potest.

Nostrarum legum necessarias conditiones has esse cū Isidoro affirmamus, Vt lex sit honesta, iusta, possibilis, secūdum naturam, secundū consuetudinem patriæ, loco & tempori conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, nec aliquid per obscuritatem in captione cōtineat, nullo priuato commodo, sed pro cōmuni vtilitate ciuium scripta. Cum autem per se vnumquodq. diuidi potest in id, quod in eius continetur ratione, multaq. sint de legis humanæ ratione, nempè quod à legē naturæ deriuetur ad bonum commune Ciuitatis ordinata, instituta à gubernante communitatem, sitq. humanorum actuum directiua, variè etiam eius diuisio attenditur. Modò partitur in ius gentium & ius Ciuile; quia deriuatur à lege naturæ: modò diuiditur iuxta eorum diuersitatē, qui sub speciali ratione dant operam ad commune bonum, vt sunt Sacerdotes, Principes, Milites, cum ad commune bonum Ciuitatis ex se ordinetur: modò distinguitur iuxta Ciuitatum regimina, nempe Regnum, & alia; quia de eius ratione est, vt à gubernante multitudinem instituatur: Tādem secatur secundum res, de quibus feruntur leges ipsæ, vt de adulterijs, de sicarijs; cum humanorum actuum directiua sit.

Nec tamen humanę legis auctoritas (sic hominū ingenio, imperfectaq. virtute postulante) ad omniū peccatorū prohibitionem extenditur; at grauiora duntaxat inhibēdo, à quibus maiorem multitudinis partē abstinere possibile iudicarit, gradatim subditos promouet ad perfectionem. Et ita etiā, licet nulla sit virtus, de cuius actibus lex humana præcipere non possit, cū omnia virtutum obiecta valeant referri vel ad bonum priuatum alicuius, vel ad cōmune totius Ciuitatis; non de omnibus tamen omnium virtutū actibus lex præcipit humana (hoc quippè 1. 2. q. 96.

vt proprium legi reseruatur Diuinæ)sed ij solum ad illius attinent præceptionem, qui immediatè, vel mediatè saltē ad bonum commune sunt ordinabiles. Idque tanta cum auctoritate & virtute præstat, vt ad intima conscientiæ latibula eius perueniat obligatio, si de vera iustaque lege loquamur.

Ad legis iustitiam tria spectant, Auctor, Finis, & Forma, nempe Iusta est lex, si sit ad commune bonū instituta ab habente auctoritatem seruata proportionis æqualitate onerum in subditos. Vim verò obligādi ab æterna, à qua promanauit lege, participat. Quæ obligatio tantum Principi legem ferēti subditos astringit: ita vt quoad vim directiuam omnes ei subiecti existant, nec ipso principe legislatore excepto; quoad vim autem coactiuam solos facinorosos, malosq́. constringat, iusto namque non est lex posita. In legibus tamen humanis non modo Princeps auctoritatem habet dispensandi sibi subditos; quinimmo omnis rector multitudinis hac etiam gaudet potestate, non solum si à superiori Principe talis inferioribus rectoribus concedatur expressa facultas, verum etiam hac seclusa eo ipso, quo quis rector multitudinis constitutus est, commissa quoque sibi intelligitur in superioris lege dispensandi auctoritas quātum ad tria, nempè leuia, frequentia, & propria. Et quemadmodum non omnes indiscriminatim obligant leges, sic nec subditos quibusdam in casibus vim habet obligandi, deficiente scilicet eiusdē legis ordine ad commune bonū: quare tunc summoperè proderit Epicheiæ virtus, quà præter verba legis agimus ad legis intētionem rectius obseruandam: Est enim Epicheia directio legis vbi deficit lex propter vniuersale.
1.2.qu. 97. Immo lex ipsa mutanda est pro loco, & tempore, & exigentia personarum: ita tamen vt id de facili non fiat, nec ex quacūque melioratione, sed ob maximam, & eui-

dentiſſimam vtilitatem, maximamq; neceſſitatem.

Deus autem, vt diuinitus homini ſubueniret in his, in quibus deficit lex ipſa naturę,& humana,vt homo ſuis in operibus vndequaque perfectus euaderet, aliam legi naturæ & humanæ ſuperaddit legem, quà homo in finē ſuum vltimum Beatitudinem dirigatur; ſcireque poſſit abſque vlla dubitatione quid ei agendum, quidve vitā-dum ſit; atque in actibus interioribus debitus ſtatuatur ordo,& regula;demum vt omnia mala & vitia ſub inter-dicto claudantur: ad quæ omnia cum non ſatis valeat lex nec humana,nec naturæ, Diuina opus fuit lege. Quæ in veterem & nouam non velut in diuerſa ſpecie omnino, ſed ſicut in imperfectum & perfectū partitur. Ipſa enim lex noua ſecūdum ſuum principale & potiſſimum,quod eſt Gratia Spiritus ſancti, quæ datur per fidem Chriſti, indita eſt in corde, atque iuſtificandi munus poſſidet: quantum verò ad ſecundaria in ea contenta, vt quædam diſpoſitiua ad gratiam,& ad vſum gratię,velut documē-ta fidei, præcepta ordinantia humanum affectū,& actus, ſcripta eſt, nec vt ſic habet iuſtificare; littera enim occi-dit & ſpiritus viuificat. Quæ cum ſit lex perfecta,& gra-tiæ,diſtulit eam Deus dare congruo tempore, duraturam autem vſque ad conſummationem ſæculi.

1.2.qu. 91.art. 4.& 5. 1.2.qu. 106.

Alia non eſt lex noua à lege veteri ratione finis, ſed maioris propinquitatis ad eundem finem, & vt perfectū ab imperfecto ſecernitur: eamque adimplet obſeruando quędā contenta in veteri lege,alia euacuando.Sic quoad opera exteriora lex vetus grauior extitit, at è contra lex noua circa opera virtutum in interioribus actibus, quod aliquis promptè, delectabiliter operetur opus virtutis; interiores enim animi motus non coercebantur expreſsè in lege veteri, ac in noua: virtutem autem habenti facilè euadit. Efficit lex noua homines lucis filios, quos opera

1.2.q. 107.

lucis præstare decet, illaque tenebrarum abijcere; quare consequens fuit, vt aliquos exteriores actus præciperet, & vetaret; hoc sufficienter se præstasse existimat, dum ea exteriora præcepit, vel vetuit, per quæ introducimur ad gratiam, vel ad rectum vsum gratiæ ex necessitate attinent. Sic interius, exteriusq. homine per legem nouam perfectissimè ordinato, quà ratione tandem omnia tam interna quam externa à lege præscripta operari, adimplereve possit videamus.

DE DEO OPERANTE

In Homine per Gratiam.

APOSTOLORVM princeps Petrus hominem non amplius corruptioni obnoxium, terreno pondere nõ grauatum, sed quasi in spiritualem iam translatum naturam, immo in Diuinam eleuatum dignitatem, Deitatisq. consortium possidentem intuēs, totum hoc in Deum in homine per gratiam operātem retulit dum ait. Magna nobis & pretiosa promissa donauit, per quæ Diuinæ efficimur consortes naturæ. Vt dicamus cũ D. Paul. Gratia Dei sum id quod sum. Inter cætera enim actuum humanorum principia, gratiæ munus tum rei dignitate, tum materiæ difficultate, atque necessitate antecedit. Rei dignitas tanta est, quanta pollet & proprietas soli Deo connaturalis: Difficultas adeo implicata, vt quò magis gratia Dei asseritur, liberum arbitrium auferri videatur: & quò liberum arbitrium in mediũ profertur, de medio Dei gratia tolli ap-

pareat: Necessitas adeò gratiis; vt si illa ad rectè viuendum, & salutem consequendum æternam necessaria statuatur, cum huius gratiæ adiutorium Deus handquaquã omnibus conferat, videretur inde sequi Deum in necessarijs deesse. At hæc & alia longiori prosequamur methodo, perstringamusq; quà ratione agat Deus in anima, per adiutorium, & habitum gratiæ.

Cum homo varios transigat status vel in re, vel saltem 1. 2. q. 109.
in consideratione nostra, variam etiam subit de suis viribus ad opera sua exercenda siue intellectus, vel voluntatis, siue etiam exteriora sententiam. Cõsideratur homo quandoque in puris naturalibus seclusa gratia & culpa, compositus ex corpore & anima spiritu & carne, caro concupiscit aduersus spiritum, tunc adfuisset rebellio, & in tali statu vitam transigere nõ posset sine peccato. Accipitur proindè homo in statu consono naturæ rationali, vt pars scilicet superior rectè se habeat ad Deum tamquã principium naturaliter notum, & inferiora sub ratione regantur; supraque naturalia talis status vigorem addit rationis. Indè homo sumitur secundum statum iustitiæ originalis, qui claudit ordinem indefectibilem corporis sub anima, inferiorum sub superiori, quamdiu superius erat sub supremo Deo. Supra quem statuitur homo in statu gratiæ gratum facientis, quæ est principium meritorium vitæ Diuinæ in æternitate. Tandem se se offert homo in natura lapsa iustitia destitutus, gratia expoliatus. Iuxta enumeratos hominis status metiendæ sunt vires naturales respectu veri & boni, vt inde necessitatem operationis Dei per gratiam firmitus stabiliamus, & Catholicè fateamur.

Hominis intellectus in veritatis cognitionem, ad quã suapte natura fertur, pertingere nõ valet sine auxilio Diuino mouente intellectum ad actum suum; non enim so-

lum

lum in esse, & conseruari à Deó glorioso dependemus, sed etiam in operari: ita vt sine ipso cooperante etiam si in nobis & esse, & operatiua omnia principia conseruaret, non possemus quacumque operatione operari, tanto nexu motor secundus cum primo stringitur. Sufficit autẽ ex sola sua naturali facultate ad cognoscendũ omne verũ naturale speculatiuum, & practicum sine noua illustratione naturali illustrationi superaddita, quam gratiam proprio in sensu vocamus: cum quęcumque forma indita rebus efficaciam habeat respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem; quapropter excedentia naturalem cognitionem, verum omne supernaturale sine gratia attingere non potest. Quid autem valeat & velle & præstare, hoc est consentire & exequi? Dicimus, eget semper Dei auxilio generali, non autem gratia: sed homo in statu naturæ integræ sine gratia poterat & velle & facere bonum omne (non meritorium) sed morale, quod est opus conforme rectæ rationi cum debitis circumstantijs, potens enim erat tũc in statu illo rationi cõsonò, naturaque sana existẽte opera sani exercere. At in natura corrupta non omne, non totum, sed aliqua bona moralia suis viribus exercere valet, vt puta eleęmosinam dare pauperi sine vlla mala circũstantia, cum neque omnia opera infidelis esse peccata iudicare debeamus.

Poterat pariter in eodem statu naturæ sua in integritate constitutæ Deum diligere super omnia simpliciter virtute suæ naturæ sine dono gratuito, sicut & bonum sibi connaturale præstare: sic enim diligere Deum est quoddam connaturale homini, & cuilibet creaturæ non tantum rationali, sed etiam irrationali, atque inanimatæ iuxta modum amoris, qui vnicuiq; creaturæ competere potest: omnis pars appetit esse propter totum, & magis

appetit totum,hocque naturaliter. Ab homine verò in natura corrupta sine gratia negatur talis dilectio, vtpotè quæ obseruantiam omnium exigat mandatorum naturalium,& per longum tempus, nec secum veniale patiatur; ad quæ non valet homo lapsus naturæ viribus. An vero eidem in tali statu concedendus sit ex solis naturalibus aliquis actus dilectionis Dei, non super omnia simpliciter; nec super omnia referibilia in Deum absolutè, sed super omnia referibilia,quæ tūc sunt in sua potestate, cui non obstat culpa venialis? non inficiamur.

Quantum vero ad legis impletionem, & mandatorū obseruantiam;si ista quoad substantiam operis meditentur,ea homo ĩ natura integra sine gratia implere valebat; aliter in eo statu nō potuisset non peccare,quod nil aliud est,quam trāsgredi diuina mandata. Ea tamen in natura corrupta sine gratia sanante exercere non valet, vt contra Pelagium Catholica docet Ecclesia: quædam autem pro aliquo tempore breui,& faciliora implere posset sine gratia. Sin autem & quoad substantiam operis,& quoad modum agendi, vt ex Charitate fiant, accipiantur numquam vllo in statu ea homo sine gratia & mōstrante ipsa quid faciendum sit, & præstante vt fiat implere valet. Virtute etenim gratiæ meritoria euadunt opera nostra, & vitæ æternæ proportionata, quam sine gratia mereri nulli concessum est. Sicut & ad consequendam gratiam ipsam quà meremur, ipsum dico habitualis gratiæ donū homo auxilio gratiæ supernaturali eget,vt ad illud se pręparet:hoc enim est ad Deum conuerti,vt ad finem supernaturalem,quod nullus ex se potest: sicque nulla ex parte hominis detur dispositio propriè ad gratiam nisi cōcurrat gratuitum Dei supernaturale auxilium: sine quo Dei auxilio nec à peccato resurgere potest, quæ enim peccādo amisimus recuperare, quod est à peccato resurgere,

ſine Deo nullatenus valemus.

Minus autem cum ſit ceſſare à peccato, non peccare, quam à peccato reſurgere, inquirẽdum eſt vlterius quomodo ſe habeat homo ſuis viribus ad non peccandum. Hi equidem in natura integra cõſtitutus obtinet vt ſine gratia habituali non peccet, nec mortaliter, nec venialiter, nam quicumque peccat ab eo, quod eſt ſecundum naturam, recedit, à quo poterat homo in illo ſtatu non recedere, quia tam ratio erat ſubdita Deo, quam ſenſus rationi. At homo lapſus habituali gratia iam ſanatus ab omni peccato mortali abſtinere poteſt, non autem ab omni veniali, ob corruptionem inferioris motus appetitus ſenſualitatis, cuius motus ſingulos ratio reprimere valet, non omnes, de hoc conquærebatur. D. Paul. in perſona hominis reparati. Ego ipſe mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati: appetitu carnali nundum plenè reparato. In mortali tandem peccato exiſtens habet poſſe ad vitandum ſingula mortalia, & per aliquod breue tempus (cum non ſit neceſſe vt continuò peccet) non omnia, & diu, & tamen voluntariè, & liberè peccat. Tantoque nexu in ſuis operibus homo à Dei gratia dependet, vt etiam dono habitualis gratiæ ornatus ad opera, quæ continuò præſtat, & mala quæ abſolutè, non tantum hic & nũc, vetat, auxilio adhuc egeat ſpeciali: cum nulla res creata poſſit prodire in actũ niſi virtute Diuinæ motionis. Et eo magis, quia licet gratia ſanet, eleuetq. naturam, non tamen ad operanda & vitanda ſufficit ob duo relicta impedimenta, infirmitatem carnis, & intellectus obſcuritatem: & etiam ob varios rerum euẽtus neſcimus plenè quid expediat nobis; vt ait Sapiens, Cogitationes mortalium timidæ, & in certæ prouidentiæ noſtrę. Quare homini in gratia conſtitutoad continuandum in bono vſq; ad finem vitæ opus eſt diuino auxilio: donum enim

gratiæ eſt quo homo poteſt perſeuerare, at actu perſeuerare non habet ſola gratia habituali, ſed cum auxilio ſpecialiſſimo. Multis datur gratia, quibus non datur vti ea: datur donum, quo poſſunt benè operari, reſiſtere tentationibus, perſeuerare, non tamen omnibus datur horum executio ſimpliciter: quia non omnibus dantur extrinſeca requiſita ad talem executionem. Vnde orandum eſt, Ne proijcias nos in tempore ſenectutis.

Habita gratiæ neceſſitate quid ipſa ſit, & quotuplex videamus; vt ſic adhuc magis hanc Dei operationem cõtemplemur. Dei quippe gratiam habere donum ſupernaturale importat in homine à Deo dimanatum: cuius dilectio cauſat bonum in re dilecta; ſiue ſit communis dilectio, quà cuncta diligit, naturaleq. eſſe largitur; ſiue ſingularis, de quà nunc loquimur, erga creaturam rationalem, quam ad Diuini boni participationem trahit, dilectioq. ſimpliciter vocatur ſecundum quam vult creaturæ bonum æternum, quod eſt ipſe Deus. Et ad hoc gratiam confert, habituale donum, & qualitatem animæ inhærentem velut formam ſupernaturalem, iuxta quam homo promptè, ſuauiterq. moueatur in bonum æternũ. Attamen ei virtutis naturam, nomen, & officium denegamus, cum nec inter virtutes numeretur Theologicas, atque à charitate ſit reipſa diſtincta, ſicut alia eſt forma dans eſſe rei, alia ad operationes rectè obeundas deſeruiens: ita gratia dat eſſe ſupernaturale, quo diuinæ efficimur conſortes naturæ, charitas verò ad operandum immediatè ordinatur: nam ad cõſequutionem cuiuſcumq. finis exigitur natura ad illum finem proportionata, inclinatio in illum, & motus in finem; ita cum homo ad finem excedentem ordinetur, eleuatur per gratiam natura hominis ad quandam dignitatem, ſecundum quam talis finis ſit ei competens, hinc ex Charitate ſequitur inclinatio affe-

1. 2. q. 110.

tio affectus in illum, tum dantur aliæ virtutes ad exequẽdum opera, quibus talis finis acquiritur. Vndè sola virtus habet locum in potentia animæ, gratia verò velut forma dans esse in animæ essentia collocatur.

1. 2. q. 111. Non vno tamen modo, nec eadem ratione, sed ordine quodam Deus per gratiam hominem in seipsum ordinat; vndè varias subit diuisiones ipsa Gratia. Etenim si ea ipse homo Deo coniungitur, est gratum faciens, sin verò est quà vnus alteri cooperatur, vt reducatur in Deũ, sic dicitur gratia gratis data. Pariterque altera est operans, altera cooperans: duplex est enim operatio Dei hoc dono gratiæ in nostra iustificatione operantis; vna vbi mens nostra est mota & non mouens, vt in interiori voluntatis actu primo tam simpliciter, quam in aliquo negocio, & respectu huius gratia dicitur operans, Deus solus est mouens, eique operatio attribuitur: altera vbi mẽs nostra & mouetur, & est mouens, atque operatio & Deo, & animæ attribuitur vt in actu exteriori imperato à voluntate, sic etiam in interiori imperato tamẽ; & respectu huius dicitur cooperãs. Quam partitionem probè nouit D. August. loquendo de gratia. Vt autem velimus operatur cum autem volumus, vt proficiamus nobis cooperatur. Ita pariter iuxta diuersos effectus partitur gratia in præuenientem, & subsequentem: nam cum sint multiplices gratiæ effectus, vt puta, Animæ sanitas, velle bonum, Bonum volitum efficaciter operari, in bono perseuerare, tandem ad gloriæ portum peruenire, vt causat primum dicitur præueniens respectu secundi ita de reliquis.

Nullibi profectò Deum operantem dulcius contemplari licet, in nulla alia re sic Dei operatio splendet, ac in
1.2. q. 112. gratiæ collatione: quam ipse solus efficit in nobis, vt ait Psaltes. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Solus Deus

Diuinæ naturæ cõmunicat consortium, nec aliundè habetur nisi per gratiam. Vltima enim dispositio ad gratiã, Conuersio, actus supernaturales, & similia sunt præparationes quædam diuinitus donatæ, quibus anima efficitur digna, vt recipiat gratiam iustificantem, quam Deus in nobis sine nobis operantibus, non tamen sine nobis consentientibus producit. Exigitur siquidem præparatio, siue dispositio ad gratiam habitualem ex parte hominis, sicut & quælibet forma constitutiua alicuius in aliqua natura requirit materiam ad illam dispositam, & Gratia est Deificatiua formaliter naturæ rationalis: vndè vt homo eleuetur in diuinam naturam, oportet vt ad illam se conuertat per actum proprium, vel alterius vt sui capitis Christi. Quæ tamen dispositio non est solius hominis sed cum Dei auxilio, & vt est à Deo ad eam sequitur gratia iustificans infallibiliter. Hoc enim in sensu verum est assersum; Præparanti se ad gratiam, siue Facienti quod in se est, datur gratia: quia vt est à Deo mouente habet necessitatem infallibilitatis iuxta intentionem Dei mouentis, si ex intentione est, vt de facto consequatur gratiam, necessariò illam habet, maiorẽ vel minorem iuxta dispositionem Dei; qui ideò variè dispensat sua dona, vt ex diuersis gradibus Ecclesiæ perfectio consurgat; sicut diuersos gradus in rebus instituit, vt Vniuersum perfectũ esset. Et quia vt causa gratiæ est nobis ignotus ob sui excellẽtiam, ideò nec eius præsentia, vel absentia in nobis certò cognosci potest, teste Iob, Si venerit ad me nõ videbo eũ. Hinc fit hominem viatorem nullatenus posse certò scire certitudine infallibili, cui nõ possit subesse falsum, excludente omnẽ formidinẽ, se esse in gratia: sed semper dicamus. Nemo scit an odio, vel amore dignus sit.

Hoc eminẽtissimo gratiæ suæ dono opus illud diuinorum diuinissimum Iustificationis animarũ inchoat, pro- 1.2.q. 113.

sequitur, & perficit Deus. Concurrunt equidem ad eam motus liberi arbitrij tum fidei in Deũ, aliarumq. virtutũ; tum odij & detestationis in peccatum: at vbique gratia fulget, ipsa primum, nouissimumque locum occupat, omnibus gratia vim, atque decorẽ affert; sine ea iustificatio nec initium habet, nec complementum. Nam impij iustificatio, quã transmutationem vocamus de statu iniustitiæ ad statum iustitiæ necessariò remissionem claudit peccatorum, denominatur verò à termino ad quem idest Iustitiam, vt importat rectitudinem hominis in interiori dispositione, quando supremum hominis subditur Deo, & vires inferiores supremæ subiectæ se continent: at nisi adsit gratiæ infusio culpę remissio nullatenus percipi, nec intelligi potest; non enim remittitur nisi per effectum dilectionis Diuinæ (vt sic pax cum Deo ablata offensa statuatur) qui non est aliud quam infusio gratiæ, cui culpa directè opponitur, & sine gratia nõ tollitur; nec per quãcumque potentiam possibile est aliter homini iustificationem concedere. Vlterius in adulto vsum liberi arbitrij habente eiusdem motus exigitur, vt Deo mouente omnia secundum modum vnicuique rei proprium, etiam motio hominis à Deo ad iustitiam fiat concurrẽte simul liberi arbitrij motu, quo anima hominis in Deum conuertatur, primaque conuersio fit per fidem, quare vt sit motus fidei oportet. Cui annectitur etiam motus ad detestandum peccatum, vt sic mens humana dum iustificatur recedat à peccato, & accedat ad iustitiam, qui accessus & recessus in motu liberi arbitrij accipitur secundum detestationem & desiderium. Sic quatuor connumerantur requisita ad impij iustificationem, nempè Infusio gratiæ, Motus liberi arbitrij in Deum per fidem, & eiusdem arbitrij motus in peccatum, tandem culpæ remissio: vt hoc modo nil deficiat de requisitis in omni

motu, quo ab alio aliquid mouetur, velut motio mouentis, hæc in iustificatione est infusio gratiæ; motus mobilis, hic est motus liberi arbitrij; tandem consumatio motus in finem, ita Culpæ remissio. Inter quæ ordo reperitur, quo vnum altero prius esse potest, Gratiæ infusio ordine naturæ prima est, vltimo Remissio culpæ collocatur.

Talia tantaque molitur Deus, vt potentiam suam, & magnitudinem virtutis suæ, diuitiasq. gloriæ suæ in hominum iustificatione ostendat. Hæc enim ex parte termini maius opus est quam creare Cælum & terram, cum ad bonum æternum consortij diuinæ naturæ, creatio autem vniuersi ad bonum naturæ mutabilis terminetur. Vndè bonum gratię vnius maius est quam bonum naturæ totius vniuersi; In ipso opere iustificationis omnipotentia maximè manifestatur: Ille profectò, cui datum esset intelligere quid sit hominem esse iustum, gratum, amabilem, amicum coram Deo, diuinum sanè habētem participium, facilè etiam percipiet quam magnum donum sit iustificare impium. Qui rursus mente reuoluerit, quibus medijs Deus sit operatus nostram salutem, potissimè illud, quod Deus dedit filium suum in mortē, vt homines iustitiam, & sanctitatem, & gratiam coram Deo haberent, pro nihilo ducet creationem Cæli & terræ præ vnius hominis iustificatione.

Iustificatio gratiæ operantis officium est, ita & cooperāti gratiæ munus proprium nempè mereri homine iam iustificato assignatur. In merito cōcurrunt quatuor, Persona merens, Meritum, Merces, & Persona reddens mercedem: naturaq. meriti integratur ex ratione iusti voluntarij ordinati ad alterum, vel iusti simpliciter, vel secundum quid: quare à Deo mereri potest homo, dū per suam operationem consequitur quasi mercedem id, ad quod 1. 2. q. 114.

Deus virtutem operandi ei deputauit. At in nullo statu mereri valet homo vitam æternam sine gratia habituali: ideo potẽtia meritoria vitæ æternæ sic est propria gratiæ, vt nulli rei creatæ conueniat nisi illi. Opera autem meritoria hominis existentis in gratia secundum substantiam operum vt à libero procedunt arbitrio habẽt dignitatem ex congruo ad vitam æternam, videtur enim congruum vt homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset iuxta virtutis suæ excellentiam: Vt verò eadem ex gratia Spiritus sancti procedunt, habent meritum ex condigno; etenim valor attenditur secundum virtutem Spiritus sancti mouentis nos in vitam æternã, & secundum dignitatem gratiæ, per quam homo factus consors diuinæ naturæ acceptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas iure adoptionis, si filij & Hæredes, & hoc sufficit ad meritum ex condigno absque aliquo alio. Tale meritum gratia principalius exercet per Charitatem; quia motus humanæ mentis ad fruitionem boni diuini tendens (in quo vita æterna consistit) est actus proprius Charitatis: atque cum de ratione meriti sit esse voluntariũ, quod ex amore facimus maximè voluntariè facimus. Gratia autem ipsa, siue pro gratuita motione, siue pro gratum faciente, dummodo prima sit, sub merito cadere non potest: meritum enim omne & nomini gratiæ repugnat, aliter non esset gratia; & ipsi naturæ gratiæ nullatenus congruit; cum excedat proportionem naturæ, & homo in statu peccati habeat impedimentum eam recipiendi, habens verò gratiam non meretur quod iam habet, mercesque terminus est operis, gratia verò cuiuslibet boni operis principium est. Christus solus obtinuit, vt alijs de condigno primam gratiam meruerit, cuius anima mota fuit à Deo per gratiam, non solum vt ipse perueniret ad

gloriam, sed vt alios in eam adduceret, velut Ecclesiæ caput, & author salutis: Homo autem iustus cum impleat Dei voluntatem, congruum fit juxta proportionem amicitiæ, vt & Deus hominis impleat voluntatem in hominis salute: sicq; alteri de congruo potest mereri primam gratiam.

Hoc insuper priuatur homo, vt sibi post lapsum reparatio debeatur, cui statui repugnat vt merces debeatur; eamque nec mereri potest merito condigni, cuius ratio ex motione diuinæ gratiæ pendet, quæ per peccatum sequens interrumpitur, quare beneficia, quæ post consequitur homo, vt reparetur sub merito non cadunt non se extendente ad illa prioris gratiæ motione; omneque meritum efficit mercedem debitam sibi solum pro statu digno mercede, qui gratia constituitur: Nec merito congrui; nam si peccatum alterius obstat, ne in illo tale meritum effectum consequatur, à fortiori peccatū proprium, cum tunc impedimentum esset & in eo qui meretur, & in eo cui meretur, concurrente vtroque in eadem persona. Tandem gratiæ augmentum sub merito cadit; motio quippe Spiritus sancti, vel gratiæ non solum ad terminum, idest vitam æternam, sed ad totum progressum, qui secundum augmentum est gratiæ, se extendit. At quia perseueratio viæ semper se tenet ex parte principij, diuinæ motionis, est enim conseruatio & continuatio gratiæ vsque ad finem, ideo sub merito non cadit: sed eam à Deo assiduis postulationibus petere debemus, vt tandem impetremus; petenti enim se non denegat Deus ex sua misericordia, cui orationis impetratio innititur.

Deus virtutem operandi ei deputauit. At in nullo statu mereri valet homo vitam æternam sine gratia habituali: ideo potẽtia meritoria vitæ æternæ sic est propria gratiæ, vt nulli rei creatæ conueniat nisi illi. Opera autem meritoria hominis existentis in gratia secundum substantiam operum vt à libero procedunt arbitrio habẽt dignitatem ex congruo ad vitam æternam, videtur enim congruum vt homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset iuxta virtutis suæ excellentiam: Vt verò eadem ex gratia Spiritus sancti procedunt, habent meritum ex condigno; etenim valor attenditur secundum virtutem Spiritus sancti mouentis nos in vitam æternã, & secundum dignitatem gratiæ, per quam homo factus consors diuinæ naturæ acceptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas iure adoptionis, si filij & Hæredes, & hoc sufficit ad meritum ex condigno absque aliquo alio. Tale meritum gratia principalius exercet per Charitatem; quia motus humanæ mentis ad fruitionem boni diuini tendens (in quo vita æterna consistit) est actus proprius Charitatis: atque cùm de ratione meriti sit esse voluntariũ, quod ex amore facimus maximè voluntariè facimus. Gratia autem ipsa, siue pro gratuita motione, siue pro gratum faciente, dummodo prima sit, sub merito cadere non potest: meritum enim omne & nomini gratiæ repugnat, aliter non esset gratia; & ipsi naturæ gratiæ nullatenus congruit, cum excedat proportionem naturæ, & homo in statu peccati habeat impedimentum eam recipiendi, habens verò gratiam non meretur quod iam habet, mercesque terminus est operis, gratia verò cuiuslibet boni operis principium est. Christus solus obtinuit, vt alijs de condigno primam gratiam meruerit, cuius anima mota fuit à Deo per gratiam, non solum vt ipse perueniret ad gloriam

gloriam, sed vt alios in eam adduceret, velut Ecclesiæ caput, & author salutis: Homo autem iustus cum impleat Dei voluntatem, congruum fit iuxta proportionem amicitiæ, vt & Deus hominis impleat voluntatem in hominis salute: sicq; alteri de congruo potest mereri primam gratiam.

Hoc insuper priuatur homo, vt sibi post lapsum reparatio debeatur, cui statui repugnat vt merces debeatur; eamque nec mereri potest merito condigni, cuius ratio ex motione diuinæ gratiæ pendet, quæ per peccatum sequens interrumpitur, quare beneficia, quæ post consequitur homo, vt reparetur sub merito non cadunt non se extendente ad illa prioris gratiæ motione; omneque meritum efficit mercedem debitam sibi solum pro statu digno mercede, qui gratia constituitur: Nec merito congrui; nam si peccatum alterius obstat, ne in illo tale meritum effectum consequatur, à fortiori peccatũ proprium, cum tunc impedimentum esset & in eo qui meretur, & in eo cui meretur, concurrente vtroque in eadem persona. Tandem gratiæ augmentum sub merito cadit, motio quippe Spiritus sancti, vel gratiæ non solum ad terminum, idest vitam æternam, sed ad totum progressum, qui secundum augmentum est gratiæ, se extendit. At quia perseueratio viæ semper se tenet ex parte principij, diuinæ motionis, est enim conseruatio & continuatio gratiæ vsque ad finem, ideo sub merito non cadit: sed eam à Deo assiduis postulationibus petere debemus, vt tandem impetremus; petenti enim se non denegat Deus ex sua misericordia, cui orationis impetratio innititur.

Signum dicimus esse Sacramentum, in tali genere col- 3.p.q. 60.
locatur; & per hoc designatur habitudo illius ad rem Sa-
cram, omnique competit Sacramento. Vt omne
sit signum rei sacræ sanctificantis hominem. Ad homi-
nis sanctificationem tria concurrunt; Causa, passio
Christi; forma, quæ gratia & virtutibus constat; &
finis vltimus vita æterna: omnia ista per Sacramenta
significantur, quod patet expresse in Sacramento
nouæ legis: Idcirco signum rememoratiuum passio-
nis Christi, Demonstratiuum sanctificationis, & Pro-
nosticum futuræ gloriæ annunciatur. Hinc patet res sa-
cras per Sacramenta significatas esse quædam bona spi-
ritualia & intelligibilia; connaturaleq. est homini vt ad
cognoscendum intelligibilia per sensibilia eleuetur, ideò
semper in Sacramento interuenit res aliqua sensibilis,
non quæcumque ad libitum, sed talis determinata ex di-
uina institutione, in cuius potestate nostra posita est san-
ctificatio; vndè & hominis sanctificatiua assumere, & in-
stituere ad ipsum spectat. Ipse & res statuit, & verba re-
bus addenda esse docuit; tum ex ratione sanctificantis,
quæ est Verbum incarnatum; tum ex parte hominis, qui
ex corpore & anima consurgit, ita medicina Sacramen-
talis ei proportionetur, vt per rē visibilē tangatur corpus,
per Verbum ab anima credatur: tandem ex parte signifi-
cationis Sacramentalis in significando enim verba pri-
mum obtinent locum. Et si res sensibiles, velut materia,
determinatæ sunt, magis seruanda est determinata for-
ma verborum; quæ mutare non licet diminuendo,
addendo, & interponendo, vt sensus verborum in ordine
ad totam orationem auferatur, quia sic & veritas tolli-
tur Sacramenti.

Vt autem propriùs ad Sacramentorum operationem 3.p.q. 62.
explicādam accedamus; hoc primo ab omnibus admit-

passione Christi, tum quia Christi humanitas est instrumentum coniunctum, per quod causa principalis gratię Deus mouet Sacramentum instrumentum separatum; tum quia liberatio à peccatis, & initium Christianæ religionis precipuè oritur à passione Christi, ad quæ duo Sacramenta ordinantur.

Per Sacramenta deputantur homines ad aliquid spirituale spectans ad Dei cultũ, sicq; per ea fideles aliquo spirituali Charactere insigniuntur, talis erat antiquitus mos consignandi quemcumque ad aliquid certũ deputatũ vt milites ad militiã. Iste Sacramentalis Character dr̃ Potestas spiritualis ad ea, quæ sunt diuini cultus (ad quẽ deputatur homo per Sacramenta) qui cõsistit in recipiẽdo Diuina, vel illa alijs tradẽdo; ad vtrũq. necessaria est potentia, actiua ad tradendũ, passiua ad recipiendũ, talẽ potentiam importat Character. Quæ est instrumẽtalis, sicut & Sacramenti virtus, reductiueq. in secũda specie qualitatis statuitur, à simili de virtute in Sacramẽtis, quę cum sit quoddã fluens & incõpletũ nõ est in genere, vel in specie per se. Atque in animæ potẽtia vt in subiecto collocatur; eo enim insignitur homo ad suscipiendũ, vel tradendum alijs ea, quę sunt diuini cultus, ad quæ propinquè, & directè disponit, sic ad actus ordinatur quod propriè animæ potentiæ cõpetit, eiq. indelebiliter imprimitur: cũ Sacerdotiũ Christi sit perpetuũ, ita sanctificatio per illud facta; nec aliud est Sacramentalis Character, quã quædã participatio Sacerdotij Christi in eius fidelibus secundũ animę partẽ incorruptibilẽ. Quare Character Sacramentalis peculiari titulo dr̃ Character Christi, quo illi cõsignamur vt Principi: reducitur in Christũ nõ secundũ quamcũque illius cõditionẽ, sed iuxta Sacerdotiũ; Sacerdotis enim est principatus cuiusq. religionis tã veræ quã falsæ. Nõ oĩa tamen, at tria tantũ sacramenta Characterẽ imprimunt.

3.p.q. 64. Originis suæ fontem Deum agnoscũt,& robur,virtutemq. trahunt diuina institutione sacramenta, ita & instrumentũ omne à principali agẽte virtutẽ sortitur; quapp solus Deus, vt causa principalis interiorẽ sacramenti effectũ operatur, qui resultat in anima, cui soli Deus illabitur, à quo solo, vt à causa principali est gratia effectus primarius Sacramenti. Homo vero ad idẽ operatur p modũ instrumenti, cũ sit eadẽ ratio ministri & instrumenti, vtriusq; actio exterius adhibetur,& ex vi agẽtis pricipalis sortitur interiorẽ effectũ. Attamen negandũ nõ est, quin deuotio & oratio iusti viri ad hoc aliquid operetur, non aliquid quod sit effectus Sacramẽti (nõ enim per meliorẽ ministrum datur melior Sacramenti effectus) sed aliquid annexũ impetrari potest ipsi recipiẽti per ministri deuotionẽ. Quapropter Christus secundũ quod est Deus effectum Sacramenti causat auctoritatiuè,& principaliter, ea ratione verò qua est homo meritoriè efficiẽter per modũ instrumenti coniuncti,cui conuenit principalitas,& causalitas respectu extrinsecorũ, vocaturq. potestas excellẽtiæ,quatuor insignita prerogatiuis.Primo,vt meritum & virtus passionis eius operetur in Sacramentis;tum in eius nomine sanctificẽtur Sacramenta; deindè vt eius munus sit Sacramenta instituere,illis dare virtutem in vi talis institutionis; tandẽ potuit effectũ Sacramentorũ sine exteriori Sacro conferre, cũ causa ab effectu nõ dependeat.

Potuit insuper Christus Redẽptor nr̃ tantã ministris gratiæ plenitudinẽ cõmunicare, vt oĩa supradicta ad potestatẽ excellẽtiæ cõcurrentia præstarẽt,sicq. talẽ illis cõferre potẽstatẽ: cũ instrumentũ cõiunctum quãto fortius fuerit (sicut Christi humanitas vigorosissima erat) tanto magis vim suã instrumẽto separato valet tribuere. Illam tñ de facto nõ cõmunicauit ob Ecclesię & fideliũ vtilitatẽ, ne spem poneret in homine; ne diuersa essent Sacra, sic diuisio

sic diuisio oriretur in Ecclesia dicendo, Ego sum Pauli; Ego Apollo: & vt vnum extaret caput, de cuius plenitudine omnes acciperent. Reliquit solum potestatẽ ministris conferendi sacramenta; qui cũ operetur nõ propria virtute, sed in virtute mouentis, ideo ministri malitia non officit bonitati, & valori Sacramenti: Ipsi tñ mali exhibẽtes se ministros Dei & Ecclesiæ administrãdo Sacramẽta peccant mortaliter peccato sacrilegij; sicut & omnis vtẽs sacro vfficio, & ad actum sacrũ aliqua cõsecratione sanctificatum; tenentur enim agenti principali ipsi Deo, qui sanctus est, se conformare; quare tales directè ad Sacramentorũ contaminationẽ, Deiq. irreuerentiã quantũ sit ex parte sui operantur. Sin verò deficiẽte in ministro bonitate, adsit etiam intentionis necessariò requisitæ defectus, nullum erit Sacramentũ: ipsa intẽtio ministri necessaria est, qua se subijciat principali agẽti, & intendat facere, qđ Christus & Ecclesia, cũ vt instrumentũ animatũ operetur. Quo pacto etiã infideles possunt & operari, & sacramenta cõferre; quare ministri fides non est de perfectione sacramenti; sicut nec intentio recta, sat est vt sit conformis rectæ intentioni Ecclesiæ in hoc, vt verè non derisoriè intendat conferre Sacramentum, licet ipse malè de Ecclesia, & de Sacramentis sentiat.

Vt extrema cum primis connectamus, operationis Sacramentorũ finis duplex extitit: Vnus Perfectio hominis in his, quę Christiani sunt cultus, alter medicina & remediũ peccatorum, vtriusq; habita ratione septem congruè enumerantur Sacramẽta: nã & septẽ extant perfectiones cultui Christiano opportunæ, nempè. Vita, Robur, Conseruatio, Curatio, Restitutio, Potestas, & Propago: & septem peccati defectus nos inuadunt, vt, Carentia vitæ Spiritualis, Infirmitas animi, Habilitas ad peccandum, Actuale peccatũ, Peccatorum reliquiæ, Dissolutio mul- 3. p. q. 65.

titudinis, & Concupiſcentia perſonalis ſimul cũ defectu multitudinis interueniente per mortem: ſic & Sacraméta ſepté illas afferũt perfectiones, & contra hos ſeptem ordinantur defectus. Nullumq. eorũ ſuperfluit, ſed omnia vel ſimpliciter vel ad commodius ſalutẽ conſequendam, vel cuilibet perſonæ ſingulari, vel communitati Eccleſiæ neceſſaria exiſtunt. Inter quæ Auguſtiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum Chriſtũ ipſum ſubſtantialiter continens, ad quod vt ad finem cætera ordinem habent, in quo ferè omnia conſumantur, fulget velut Sol micantiſſimus, potiſſimumq. omniũ Sacramentorũ iure meritò affirmatur.

DE DEO OPERANTE

In Homine quoad eſſe Gloriæ.

POſtremã operationũ Dei aliarum finem ac ſcopũ contemplantes, & expectantes dicimus cũ Apoſtolo Paulo, Saluatorem expectamus Dñm noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Corporũ inquã reſurrectio, tum corporis tum animæ glorificatio eſt omnium operum, ac deſideriorũ noſtrorum finis, & quies. Hæc eſt nouiſſima erga hoĩum genus Dei operatio, poſtquã nulla alia ſupereſt, in ea mens quieſcet humana, corpusq. immutabile perſeueranter deget. Futurã ſui corporis reſurrectionem proteſtatus eſt Iob dum ait, Scio quod Redẽptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deũ Saluatorem meũ. Idem Catholica fides ſemper docuit: poſt hanc etenim vitam altera nos manet, vbi beatitudo promittitᷓ homini, cuius

Addit. ad 3. p. q. 75.

natura

natura non est sola anima, sed ex corpore & anima constat; vt ergo totus homo recipiat pro meritis præmium, vel pœnam, omniũ necessariò corporũ resurrectio expectatur: opus si simpliciter, vt decet, loquimur miraculosum, dato aliqua ratione dici queat secũdũ quid naturale.

Causa prima & quasi æquiuoca nostræ resurrectionis est Christus inquantũ Deus, causa proxima & quasi vniuoca inquantũ est Deus & homo resurgẽs, sic non tm̃ causa efficiens, sed etiã formalis, & exẽplaris: Vnde resurrectio Christi ponitur causa nostræ resurrectionis; nã sicut à morte spirituali liberamur per donũ gratię per Christũ; ita à morte corporali per resurrectionẽ factã virtute Diuinitatis cõmunis Christo & patri, vt dicebat D. Paul. Qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra. Quare ipsa resurrectio Christi virtute cõiunctæ Diuinitatis est quasi causa instrumẽtalis nostræ, cum diuinæ operationes mediante carne Christi veluti organo exercebantur. Interueniet aũt & aliquod sensibile signũ, siue Vox, siue Tuba, vel aliud quid ad indicium pręsentię Christi aduentantis ad iudiciũ: atque ministerium aderit Angelorum sicut Apostolus Paulus nos admonet. Quoniam ipse Dominus in iussu, in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. *Addit. ad 3 p. q. 76.*

Hæc corporũ resurrectio, & auditu quidem est mirabilis, & creditu iucunda, atque necessaria: at mirabilior, & iucundior citra vllam controuersiam erit operatio illa, quando anima torrẽte voluptatis inebriata, & in aspectu gloriæ Dei satiata complebitur dictũ Apostoli, Deus erit omnia in omnibus. Quando inquam anima finem suum vltimum consequetur Beatitudinem in operatione speculatiui intellectus, in solaq; visione Diuinæ essentiæ non in aliquo alio corporis bono repositam. Nam vtique potest Intellectus creatus Deum per essẽtiam videre, vti de- *1. 2. q. 2. et 3.* *1. p. q. 12.*

facto vident etiam nunc Sanctorũ animæ. Beatus profectò est cũ habet omnia, quę vult: at homini inest naturale desiderium cognoscendi causam cum intuetur effectum: quod desideriũ asseritur naturale, non vt dicit nudam inclinationem, propensionemq. naturæ, sed vt notat actum elicitum, quia homo vt destinatus ad patrię cælestis fœlicitatem, non omni modo ac ordine, sed peculiari, ac propinquiori, quod est nosse quosdam effectus gratię & gloriæ, desiderat visionem Dei in se nec hoc desiderium inane remanere debet, vt sic res suo principio coniuncta in vltima statuatur perfectione.

In qua visione nulla ex parte rei visæ interuenit, nec potest adesse creata similitudo, nec obiectiua, nec species impressa, nec quocumque alio vocetur nomine: cũ nulla talis, quia inferioris est ordinis, non idẽtificata cum suo esse, naturæque limitatæ, & finitæ valeat essentiam Dei ordinis altioris, vnum cum suo esse, infinitum & incircũscriptum ens repræsentare: species namque qua quidditatiuè cognoscitur res oportet sit ipsius rei qđ quid est. At vbi creata deficit similitudo supplet ipsa Diuina essentia, quę ĩ intellectu Beati speciei impressę vices, munusq. gerit demptis imperfectionibus, sicque fit forma intellectus in genere intelligibili. Tanta est esse Diuini excellentia vt nec oculis corporalibus detur ad eius pertingere visionẽ, quocũque in statu; nec ad idem valet intellectus ipse per sua naturalia: nam cũ modus essendi rei cognitæ excedit modum naturæ cognoscentis, cognitio talis rei est supra naturam talis cognoscentis; ita cognoscere ipsum esse subsistẽs soli intellectui Diuino cõnaturale est supra facultatem naturalẽ cuiuscumque intellectus creati. Quapropter Deus ipse per suã gratiã intellectui creato se coniungit vt intelligibile ab ipso; & hoc mediãte lumine glorię eleuante intellectum, ipsumque disponente dispositione

supra suam naturam, quo fit vt augmentata eius virtute Deum videre possit. Necessariũ quippe ponitur tale lumen, & vt intellectui diuina vniatur essentia in ratione speciei intelligibilis, & vt ea vnita eliciat intellectus actũ visionis beatæ. Quod lumen nec esse nec fieri potest alicui naturale, ne creatura sit ipse Deus: nam si nec possumus satis explicare, quo pacto cum lumine gloriæ intellectus Deum videat, quomodo possumus suspicari, vt alicui substantiæ creatæ naturale sit.

Vident quidem omnes Beati Deum, at cum secundũ Apostolum Stella differat à Stella in claritate, vnus alio perfectius videbit ratione maioris facultatis, ac virtutis ipsius Beati, quæ virtus maior ac facultas ex maiori gloriæ lumine prouenit; ex quo diuersitas consurgit mãsionum dicente Christo. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Non tamen ita vnus alium in perfectiori visione superabit, vt ad Dei compręhensionem pertingat. Deum esse incompræhensibilem clamat Hierem. Fortissimè, magnè, potens, Dñs exercituum nomẽ sibi; magnus consilio, & incompręhensibilis cogitatu. Nec vllus intellectus creatus vnquã Deum omni modo, quo cognoscibilis est nẽpè infinitè, cognoscet (sic solum cõpręhẽditur) at plus minusue prout maiori vel minori lumine gloriæ perfundetur; quod semper est creatum, per consequens finitum, & finitam affert visionem. Ideò nec omnia quæ Deus facit, vel facere potest vident, aliter illum compręhenderent, sed eo plura ex his velut effectus in causa quis videt, quo Deum perfectius intuetur. Cum enim luminis gloriæ quantitas ex Dei voluntate intellectui detur, & essentia diuina ei voluntariè vniatur, hinc fit vt ad illa tm̃ eleuetur intellectus, eaq. videat, quæ ex Dei pendent voluntate: Deus & cui vult, & quantum vult se ostendit.

Quæcumque autem sint ea, quæ Beati in Deo vident,

id non obtinent per aliquas ſpecies, ſiue ſimilitudines, at
ſolum per eſſentiam Diuinam intellectui eorum vnitam,
quæ vt propriam cuiuſque rei ſimilitudinem ſe illis exhi-
bet: Quare neceſſariò conſequitur, vt non ſucceſſiuè, ſed
ſimul omnia percipiantur. In hac vita mortali ad talem
tantamq. viſionem nobis non patet via, niſi anima ſepa-
2. 2. q. retur (non ob hoc negamus SS. Moyſen & Paulum hic
174 ar. 4. & q. viuentes diuinam vidiſſe eſſentiam) eadem tamen anima
175. ar. 3. corpori reaſſumpto poſt hanc vitam vnita tota merces,
1. 2. q. & vndequaque completa reſeruatur viſio: nam licet tūc
4. ar. 5. Beatitudo intenſiuè non augeatur, erit tamen perfectior,
cum omni modo poſſibili poſſideatur, etiam per redun-
dantiam in corpus: ſic Beati erunt æquales angelis Dei
habendo omnem perfectionem Beatitudinis, quam ſint
habituri: Atque animæ ſeparatæ deſiderium totaliter
quieſcet etiam ex parte appetentis; nam ita appetit ani-
ma frui Deo, vt etiam ipſa fruitio deriuetur ad corpus;
Vndè ſecundum omnem modum, quo poſſidere vellet,
Addit. ad 3. p. bonum illud poſſidebit. Ideò iurè meritò beatitudinis
qu. 93. gradus dicitur: Manſio, nam in quolibet motu quietem
art. 2. & 3. in finem motus vocamus Collocationem, Manſionem;
ita ipſa conſecutio finis motus appetitus voluntatis ap-
pellatur manſio, & diuerſi modi conſequendi finem di-
uerſæ dicuntur manſiones. Hanc quietem appetamus,
ad hanc ſuſpiremus; hanc omni alio poſtpoſito à Deo
omni hora inſtanter efflagitemus cum Regio propheta,
Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in
domo Domini omnibus vitæ meæ. Faxit Deus.

Diſputatio erit Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Mineruam apud Ædes Fratrum Prædicatorum pro Comitijs Generalib. eiuſdem Ordinis Romæ celebrandis hoc anno 1629. Reſpondente eodem F. Paulo Hieronymo, qui ſuo Nomine Prouin

DOMINICO PINELLO S. R. E. CARDINALI, OPTATISSIMO.

Amplissime Pater.

REferunt Martinus Pollonius, & Bernardus Gui. in principio suorum librorum, quos de Ro. Pontificibus cōscripserunt, quòd sicut auctor humani generis Summus Sacerdos, & Pontifex in cœlesti Ecclesia tres Angelorum summos ordines constituit, qui sibi obsequerentur, ita eiusdem consilio factum, vt apud homines in militanti Ecclesia, ad cœlestis illius Hierosolymæ, quæ mater nostra est exemplum, circa Romanum Pontificem Christi vicem in terris gerentem, essent tria Cardinalium genera, quæ illi adhærerent, quidam igitur sunt Cardinales Episcopi, alij Cardinales Præsbiteri, alij Cardinales Diaconi, atquè hoc ordine circa Pontificem sedent, vt primas teneant Episcopi, secundas Præsbiteri, tertias Diaconi nimirum si splendidissimis nominibus ac propè diuinis nuncupantur, & meritò quia Card. S. Rom. E. terrestres

ſtres ſunt Angeli ad cœleſtium inſtar, quorum vnus es tu, nam cum ſemper virtus tua, nobilitas generis, ac animi perpetuæ iuſtitiæ conſtans voluntas, per tot annos in Romana Curia, & extra in arduis, difficilimisquè diuerſorum generum curis ſemper enituerit; propter quæ continuo clarus, & in oculis omnium fueris; vnde Sanctiſsimus Sixtus Quintus Pontifex Maximus te tandẽ ad ampliſsimã Cardinalatus dignitatem aſſumpſerit, ideoquè tibi in partem Reſponſum iſtud meum debebatur, quòd cum de legibus, ac iure Pontificio tractet, te vtrunquè eminentiſsime reſpicit, acceditquè quòd cum tu ad ampliſsimam Legationem Flaminiæ, ab eodem Sixto miſſus anno præterito, ita pacatam prouinciam reddideris, ita malis hominibus expurgatam, ita perpetua cura iuſtitiam omnibus adminiſtraueris, ita ſolicitè ad talem gubernium pertinentia omnia præbueris, quòd ex debito officij mei, qui omnia iſta vidi, recenſere ad tui memoriam nunquàm in Flaminia interituram tenebar, & eo maximè in iſto tuo receſſu, qui vt tibi iucundiſsimus eſt, ita omnibus bonis, & vniuerſæ prouinciæ mæſtiſsimus; cum nemo ſit, qui eo non doleat, & qui tui nominis, bonitatis, integritatis, ac iuſtitiæ vnquàm memoriam non ſit perpetùò habiturus.

Vale.